



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Summæ Theologicæ Scholasticæ Et Moralis

In Quatuor Partes Distributæ

In qua de Incarnatione Verbi & Mysteriis vitæ Christi, nec non de
Sacramentis in genere & singulis in specie succinctè & dilucidè tractatur

Herincx, Wilhelm

Antverpiæ, 1675

Disputatio II. De Perfectionibus Christi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72963](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72963)

in Ecclesia & Scholis) qui Christum dicebant esse creaturam, intelligendo etiam quatenus erat Verbum Dei, seu secunda in Trinitate persona, quam *Ariani*

dicebant similiter esse creaturam Patris, hunc solum asserentes esse verè & substantialiter Deum.

DISPUTATIO SECUNDA.

De Perfectionibus Christi.

QUÆSTIO I.

De Scientia Christi.

1. **A**GITUR hic tantum de Scientia & reliquis perfectionibus Christi quatenus homo est: nam de perfectionibus divinitatis in 1. Parte tractatum est.

Christus secundum humanitatem in vita mortali vidit Deum;

Dico I. Christus quia homo habuit in hac vita claram Dei visionem, idque ab initio suæ conceptionis. Est extra controversiam. Prima pars colligitur ex Scriptura: *Joan. 1. Deum nemo vidit unquam: unigenitus filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* q. d. ipse ergo venit & enarravit, sicut vidit, & sicut enarravit per humanitatem dum hic viveret, sic etiam per illam tunc vidit. Et *cap. 3.* Christus de seipso ait: *Quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur. . . . nemo ascendit (quod est præteritum; ut patet ex Græco) in caelum, nisi qui descendit de caelo, Filius hominis, qui est in caelo.* Tunc autem necdum ascenderat in caelum corpore; adeoque loquitur de ascensu mentis per visionem beatam. Et *cap. 8.* ait Christus: *Ego quod vidi apud Patrem meum, loquor.* Et *cap. 12.* *Vbi ego sum, illic & minister meus erit, scilicet in gloria.* Et *cap. 14.* *Ut ubi ego sum, & vos sitis.* Idem docent Patres, *August. lib. 4. De consensu Evangelistarum cap. ult.* & alibi. Vide *Suarez disp. 25. sect. 1.* Ratio est: quia hoc exigebat connaturaliter Unio hypostatica; nec erat ratio cur humanitati Christi in hac vita non concederetur, quandoquidem non obstaret fini redemptionis, sicut gloria & impassibilitas corporis obstaret passioni.

2. *Idq; ab initio ab instanti conceptionis.*

Secunda pars patet: quia Christus habebat Unionem hypostaticam ab initio conceptionis; nec erat ratio differendi visionem beatam ei in hac vita dandam; cum Christi intellectus impedimenta ætatis nesciret. Unde *Richardus 1. 2. de Emmanuel cap. 22.* ait: *Quod nos expectamus in consummatione, illi deum est in sua conceptione.* Confirmatur, tum quia non est credibile divinam personam non mox ditasse naturam humanam tam singulari sibi vinculo colligatam plenitudine superabundanti gloriæ omnique gratiæ: Tum quia non decebat sic uniri animam, nisi esset simul Deiformis secundum quod erat possibile. Unde Theologi cum *Scoto d. 2. q. 2. n. 12. glo-*

riam gratiæque & veritatis plenitudinem in Christo homine fundant in hoc, quod *Joan. 1.* dicitur *unigenitus à Patre.* Quod à primordio conceptionis suberat. Hinc etiam illud apud omnes Scriptores vulgatum, quod Christus à principio fuerit simul viator & comprehensor.

Nec obstat, quod *Lucæ 24.* dicitur: *Nonne oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Et *Joan. 7.* *Nondum erat Spiritus datus quia Jesus nondum erat glorificatus.* Et *cap. 17.* *Clarifica me tu Pater.* Nam Scriptura sic loquitur partim de gloria corporis seu resurrectionis, & glorificatione Christi in ascensione, partim de clarificatione nominis ejus & divinitatis quoad nos.

Non obstat II. quod visio beatifica generet summum gaudium: quod non videtur consistere cum summa tristitia, quasi Christus habuit quando dixit *Matth. 26.* *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Nam etsi connaturaliter loquendo id verum sit, absolute tamen potest gaudium & tristitia summa simul consistere, quando non sunt de eodem objecto sub eodem motivo formali. Deinde potuisset per Deum tempore passionis gaudium beatificum Christo subtrahi ad perfectius pro nobis satisfaciendum: quod factum esse putat *Canus*; iamquam *Suarez* hoc dicat temerarium. Saltem potius existimandum foret suspensum fuisse gaudium beatificum, quam neganda Christo victori sive tristitia five visio beata.

Porrò visio hæc beata non fuit quidem infinite perfecta, cum talis visio creata repugnet. Fuit tamen inter creatas omnes perfectissima: prout dignitas humanitatis Verbo Dei unitæ exigebat, adeo ut si deus status in perfectione specificâ vel intensiva visionum possibilem (de quo in Philosophia) ipsa sit tam perfecta, ut eâ nequeat dari perfectior.

Dico II. Christus ab initio conceptionis habuit perfectam rerum omnium notitiam. Est contra *Luthericos* & alios Hæreticos (quos refert *Bellarminus l. 4. de Christo cap. 1.*) negantes Christum scivisse omnia, sed more ceterarum paulatim didicisse, quæ prius ignorabat. Probat ex Scriptura *Joan. 1.* *Vidimus gloriam ejus gloriam quasi unigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.* Deinde probatur ex Patribus. *Nazianzenus Orat. in S. Basilium dicit: Ille (Christus) ut creatus, ita etiam*

etiam Sapientia & gratia proficiebat: non quod hac in illud incrementum caperent (quid enim eo, quod a principio perfectum est, perfectius esse possit?) sed quia paulatim crescerent & elucere. Augustinus l. 2. de peccat. meritis c. 29. Ignorantiam nullo modo crediderim fuisse in illo infante, in quo Verbum caro factum est, ut habitaret in nobis. Bernardus Homil. 2. Super Missus est. Nec fuit hora in quacumque aetate sua, quod de plenitudine illa, quam in conceptione sui accepit in utero, vel aliquid minueretur, vel aliquid eidem adiceretur. Similia habent alii Patres. Denique id exigebat dignitas natura humana ad esse personale divinum elevata: neque enim consentaneum fuisset, ut Christus, cum Deus esset, aliquid more ceterorum disceret, quod prius ignorabat, ut notat Clemens Alexandrinus lib. 1. Pedagogi cap. 6.

Neque obstat I. illud Marci 13. De die autem illa vel hora (scilicet iudicii) nemo scit, neque Angeli in celo, neque filius; sed (ut dicitur Matth. 24.) solus Pater. Quia non significatur Christum etiam qua hominem ignorasse diem iudicii, sed, ut Patres explicant (omissis variis aliorum expositionibus) non scivisse illum ad communicandum nobis, quatenus scilicet erat Legatus ad nos: eatenus enim non habebat in mandatis illum pat. ficere, sed celare. Unde Ioan. 15. dixit: Quicumque audivi a Patre meo, nota feci vobis, quae videlicet habui vobis pro hoc tempore tanquam Legatus manifestanda. Quamquam alioquin constet ipsum multa alia scivisse Apostolis ignota; quibus cap. 16. ait: Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo: ideoque usque ad adventum Spiritus sancti differendat, qui illos doceret omnem veritatem.

Non obstat II. quod Damascenus l. 3. de fide c. 21. in princip. dicat, Verbum ignorantem laborantem ac servam naturam assumpsisse. Sic enim loquitur, eo quod assumpserit naturam hominis, quae est ignorans, non prout singulariter in Christo, sed prout in simili est, in nobis; ut recte D. Bonav. d. 15. a. 2. q. 1. ad 1.

Non obstat III. illud Ambrosii l. de Incarn. c. 7. post. med. dicentis: Per quem autem sensum Isaias dixit (scilicet cap. 3.) patrem nesciebat puer aut matrem? Sapientiam enim Dei futura & occulta non fallit. Experts autem cognitionis infantie per humanam utique imprudentiam quod adhuc non didicit, ignorat. Hoc enim explicat D. Bonav. d. 13. in Expos. textus dub. 5. de notitia experimentalis, in qua Christus secundum exteriorem sensum veraciter profecit, & quae naturae humanae assumptionem comprobant. Unde si dicat, illum puerum ignorasse, hoc non est aliud, quam non expertum esse. Alioquin sensum plane diversum habet, quod Isaias 8. dicitur: Aequum sciat puer vocare patrem suum & matrem suam, auferetur fortitudo Domasi & spolia Samaria. Nam (ut omitteram, quod

Varii id explicent de filio Prophetissae, uxoris ipsius Ishaiae) intelligendo illud cum Patribus & plerisque Interpretibus de Christo, sensum habet: Antequam puer iste vulgari ac naturali modo sciat fari ac dicere, quod primo dicere solent infantes, Patrem, mater mea (ut habent Hebraei) immo antequam nascatur aut ex utero matris prodeat, hostes suos spoliare & praedari incipiet; utpote Deus verus. Vide A Lapide, & alios Interpretes.

Notandum vero sensum Conclusionis non esse, quod Christus habuerit actua-lem omnium rerum notitiam, etiam in Verbo. Cum enim res cognoscibiles sint infinitae, impossibile est (quidquid Aliqui dicant) omnes simul perfecte & distincte cognosci: hoc namque argueret infinitam perfectionem in intellectu creato, aut etiam in ipsa cognitione, si foret unica. Neque idem est de visione objecti infiniti, & de visione distincta objectorum infinitorum in multitudine: nam quod intellectus perfecte & distincte cognoscit plura, eo arithmetica proportione requiritur major attentio, ut experientia docet, adeoque ad infinita cognoscenda requireretur infinita attentio. Secus est de notitia objecti infinite perfectis ad quam non requiritur infinita attentio vel infinitus actus. Immo potest intellectus in objectum perfectius tendere minori tonatu vel attentione, quam in objectum minus perfectum. Et sane longe facilius cognoscitur unus homo, quam distincte mille lapides; etsi sit huius omnibus perfectior. Vide Smising de Deo Vno Tr. 2. d. 6. n. 196. & seq.

Quare Christus non scivit actu omnia quae Deus scit; immo nec omnia quae Deus videt, scilicet praeterita, praesentia & futura (quae tamen Christum qua hominem vidisse in Verbo vult D. Thomas & alii) nam etiam haec sunt infinita, v.g. cogitationes futurae per totam aeternitatem, aut saltem excedunt determinatam capacitatem intellectus creati, uti excedunt quemcumque numerum determinatum categorematicum. Vis enim limitata intellectus, si nequeat simul distincte intelligere objecta categorematicae infinita, habet consequenter determinatum numerum objectorum, quem nequit excedere in simultanea & distincta cognitione.

Sufficit igitur Christum omnia scivisse habitualiter, ut recte D. Bonav. d. 14. a. 2. q. 3. Scetus ibid. q. 2. no 20. & alii. Quod optime sic explicatur, ut potuerit actu scire, quod vellet & quandocumque vellet. Hoc namque est facile explicatu, & convenit dignitati Christi, ac denique excludit ab illo ignorantiam: nam nec inter nos quis dicitur aliquid ignorare, quod ita habitualiter scit, ut interrogatus statim diceret, quid de illa re dicendum esset, et-

8. Christus qua homo non omnia simul actu cognoscit.

9. Ad que nec omnia quae Deus scit, aut videt.

10. Sed novis omnia habitualiter.

Declaratur quo sensu.

3. An vni quo sensu Chri- stus ignorans dicitur diem iudicii.

4. Quod sensu Verbum assumptum ignorans naturam.

7. Explicatur locu Ambrosii.

5. Christus ab aliis perceptum non ignorans excludit.

Et aliter Isaias.

si actu de ea non cogitet. Quemadmodum nec dicitur Christus ignorare aliqua possibilita, etsi actu non omnia simul cognoscat, prout etiam *Thomista* fatentur.

11. Duplex porro est scientia Christi. Prima beata, quā videt Verbum, & in Verbo creaturas. Secunda est cognitio in proprio genere, quam Doctores communiter docent etiam fuisse in Christo, utpote dignitati illius competentem, ac etiam beatis Angelis & hominibus convenientem. Hanc verò Christus non debuit labore & industriā conquirere, sed in ordine ad illam fuit ei ab initio conceptionis infusa à Deo scientia. Quam Theologi distinguunt in infusam per se & infusam per accidens. Per priorem cognovit Christus in proprio genere res illas, quæ naturaliter non possunt cognosci, aut certè non tali modo & perfectiōe. Post posteriorem cognovit ceteras res, quarum cognitio etiam perfecta naturaliter acquiri posset. Cujusmodi scientia fuit etiam infusa Salomoni & Adamo circa res naturales. Quamvis harum quoque cognitionem ad scientiam per se infusam minus probabiliter reducat *Suarez*, *Vasquez* & alii. In quorum Sententia facile posset quælibet scientia per accidens infusa Christo denegari. Quæ omnia fufius videri possunt apud Auctores citatos, & alios Scholasticos in hac materia.

12. Habuit denique, juxta *D. Bonaventuram*, *Scotum* & alios communiter, Christus scientiam quamdam experimentalem, quam successu temporis acquisivit etiam ex iis quæ circa se acciderunt & intuitus est, ut colligitur ex Apostolo *ad Heb. 5. Didicit ex iis, que passus est, obedientiam*. Patet etiam: quia Christus videbat, audiebat, tangebatur, & ac proinde ministerio sensuum hauriebat notitiam intellectualem & experimentalem rerum alioquin sibi cognitarum, v. g. dolorositatem tormentorum, faciem hominum, loquelam, res significatas per verba audita &c. Ratio est, quod scientia experimentalis, partim involvat cognitionem rei præsentis & existentis, qualis omnium rerum Christus in proprio genere non habuit ab initio, sed prout successivè res ipsæ contingunt: partim præsupponat eandem cognitionem, & tamquam transactam repræsentet; quod etiam ab initio non potuit in Christo habere locum. Ita *Scotus d. 14. q. 3. Suarez disp. 27. sect. 2. in fine*, & alii.

QUESTIO II.

De Gratia & Virtutibus Christi.

13. Dico I. Christus fuit præditus gratiâ habituali. Est certum apud omnes. Et colligitur ex *Joan. 1. Plenum gratiæ & veritatis*. Quod cum omnes intelligant de quavis habituali perfectiōe Christum decente,

non potest induci de ulla magis intelligi, quàm de perfectiōe gratiæ habitualis. Et alibi frequenter dicitur in Christo fuisse gratia, Spiritus sanctus &c. Ratio est: quia Christo ad diligendum Deum est necessaria Charitas habitualis; quæ juxta *Scotum* & plurimos alios à gratia est indistincta, aut certè juxta alios sic profluit à gratia, ut sine ea, saltem connaturaliter, esse nequeat. Deinde hæc perfectiō conveniebat dignitati Christi.

14. Dico II. Gratia habitualis erat justificativa, seu sanctificativa Christi, eumque dignificabat ad vitam æternam. Est etiam communis Doctorem. Et colligitur ex Patribus, *Bernardo Homil. 4. Super missus est*, ubi ait: *Singulariter sanctum fuit quod Virgo genuit, & per Spiritus sanctificationem, & per verbis assumptionem*. Alios vide apud *Suarez disp. 18. sect. 2. assert. 1.* Ratio est: quia nos sumus iusti & sancti per gratiam habitualem; ergo & Christus: quia non debet negari gratiæ ipsius capitis, quod nostræ conceditur.

15. Dices: Anima Christi fuit sanctificata formaliter per Unionem hypostaticam; ut colligitur ex *Bernardo sup.* & aliis Patribus; ergo non per gratiam habituaalem. Responderi I. cum variis posset Neg. Conf. quia decebat, ut Christus omni modo sanctus esset, & substantialiter per Unionem hypostaticam, & accidentaliter per gratiam intrinsicè inhaerentem. Hi tamen Auctores differunt inter se, utrum sanctitas formaliter proveniret ab ipsa unione, an potius à personalitate Verbi, vel divinitate, aut utraq; simul.

Aliter Resp. cum pluribus Doctores Neg. Antec. quia Unio hypostatica tantum confert ratione sui termini moralem sanctitatem seu potius dignitatem humanitati Christi; adeo ut in concreto dici debeat Deus, ideoque connaturaliter exigat gratiam sanctificantem in perfectissimo gradu, cui vita æterna & cetera debeantur de jure, quæ Unioni hypostaticæ secundum se debentur de congruo & velut radicaliter. Similem autem moralem dignitatem & quasi consecrationem tribuit unio etiam partibus humanitatis, est secundum se incapibus formalis sanctificationis. Propter quod ejus corpus in hymno Ecclesiæ dicitur sanctissimum; & sanguis similiter sanctissimus seu sacratissimus dici solet. Nec aliud exigit natura Unionis hypostaticæ, vel Auctoritas Patrum. Quamvis alioquin potuisset Deus ex sua libertate effectus gratiæ justificantis etiam Unioni hypostaticæ annexere. Utrum autem de facto annexerit, non ita constat: prout id constat de gratia habituali.

16. Petes, quanta fuerit gratia habitualis Christi? Resp. cum *D. Bonaventura*, *Scoto* & aliis communiter, non fuisse infinitam; ut pote quæ implicat. Secus fortè dicendum foret

11. Scientia Christi alia est in Verbo, alia in proprio genere, infusa ipsi Christo.

Hæc verum vel est infusa per se, vel infusa per accidens.

12. Fuit denique in Christo scientia experimentalis, successivè acquisita.

13. Fuit in Christo gratia habitualis.

14. Sanctitas ipsam.

15. An præsentem fuerit formaliter in unione hypostatica.

in C. fuit neq; gratia.

16. Gratia habitualis Christi ab

14. Incho fuit summa, non tamen infinita.

foret, si (quod Quiaam essent) infinita gratia sit possibilis. Fuit tamen major, quam ulla creatura immo tanta, ut (supposito quod detur status) non potuerit major dari. Eamque accepit ipso instanti conceptionis simul cum Unione hypostatica, cui mirum ipsa debebatur; & quia tunc collata fuit fructio beatifica, cui elicendae habitus gratiae & charitatis erat necessarius. D. Thomas tamen & alii existimant gratiam Christi fuisse infinitam, non quidem in ratione qualitatis, sed in ratione gratiae. Quod equidem dici non potest, eo quod non reddiderit Christum Deo gratum seu acceptum in ordine ad effectum, nisi finitum, scilicet gloriam finitam. Nec à conjunctione cum Verbo aliam traxit infinitatem, quam scientia & reliqua Christi accidentia. Quamquam opera satisfactoria ex dignitate personae, accedente saltem acceptatione Dei, traxerint valorem quodammodo infinitum.

15. No quidem in ratione gratia.

17. Quo sensu Scriptura dicit Christum profecisse in gratia apud Deum & homines.

Nec dictis obstat, quod Luca dicitur: Iesus proficiebat sapientia, & aetate & gratia apud Deum & homines. Nam sensus est, quod creverit sapientiae & gratiae operibus, seu effectibus & signis ut Patres explicant: emicatio enim sapientiae & gratiae profectus ejus fuit: quemadmodum sol dicitur proficere, quia majus lumen apud nos paulatim diffundit. Unde accellu aetatis verè paulatim detegebat gratiam & sapientiam animi, quae semper plenus erat. Quod autem à principio per opera externa non indicaret summam suam perfectionem, hoc non erat falsitatem praetendere, sed veritatem occultare, idque expedienter ad nostram utilitatem, ut rectè D. Thom. d. 13. a. 1. q. 3. ad 3. Si enim virilem gratiam & sapientiam exercuisset ante aetatem, visus fuisset monstrum aut prodigium, & tamen defectus gratiae & sapientiae interior in nullo nobis profuisset, nec Deum decuisset. Defectus autem aetatis in corpore faciebat ad humiliationem, atque insuper, verae naturae ostensionem, nesci absque aetatum vicissitudine plenus staturam produisset, phantasma apparuisset.

18. In Christo fuerunt omnes gratiae gratis datae.

Dico III. In Christo fuerunt omnes gratiae gratis datae, scilicet gratia sanctorum, operatio virtutum, ac reliquae omnes, quas enumerat Apostolus 1. ad Cor. 12. ita communiter Theologi. Et patet consideranti vitam Christi, ac quae de eo Scriptura testatur. Idem exigebat plenitudo gratiae, quae super eum requievit; item dignitas Unionis hypostaticae: ac denique ratio Capitis, à quo haec gratiae in cetera membra, scilicet Apostolos aliosque Doctores erant derivandae; adeoque oportebat illas in capita praefuisse.

19. Etiam gratia fidei.

Solum videtur aliqua difficultas de gratia fidei & prophetiae. Verum Apostolus ibi nomine fidei non intelligit fidem Theologicam, quae omnibus Christianis est com-

munis, sed eam quae est mater miraculorum, constantem scilicet fiduciam in Deum ad quidvis impetrandum, & ad miracula operandum, atque assensum praevium. De qua cap. seq. ait: Si habueris omnem fidem, ita ut montes transferas. Ita explicat Chrysostomus, vel intelligit donum in seipsum proficendi & explicandi fidem; ut exponunt Alii, vel potius intelligit singularem intelligentiam mysteriorum fidei ad ea contemplandum & aliis declarandum. Omnibus autem his modis fuit in Christo fides.

Et gratia prophetiae.

Ad Prophetiam quod attinet, non importat illa obscuritatem ex parte cognitionis in Propheta, sed ex parte objecti secundum communem statum & conditionem cognoscentis, ut scilicet res sit obscura & remota à cognitione propria statui in quo Propheta versatur. Quare juxta August. lib. 16. contra Faustum cap. 18. nihil aliud est Propheta, quam homo ultra humanas conjecturas futura pronuntians. Unde de Christo Ioan. 4. dixit, nec male (teste August. Tr. 15. in Joannem) Samaritana: Video, quia Propheta es tu. Et Luca 7. visà resurrectione mortui omnes timuerunt & magnificaverunt Deum dicentes: Quia Propheta magnus surrexit in nobis. Et Christus de se ipso Marci 6. dixit: Non est Propheta sine honore, nisi in patria sua. Et Deuter. 18. Moyses de Christo (prout intelligit Petrus Act. 3. & Stephanus Act. 7.) dixit: Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus.

20. Operatio miraculorum à Christi humanitate tamquam instrumento morali processit.

Quantum ad gratiam virtutum notandum humanitatem Christi fuisse operatam virtutes sive miracula, non per physicam potentiam sibi competentem, sed per divinam voluntatem ac omnipotentiam sibi permanentem, & ad nutum, ac ad quovis effectus assistentem; secus quam contigerit in aliis Sanctis: sic equidem, ut humanitas tantum causaverit illa moraliter, uti Sacramenta gratiam. Ita Scotus, Vasquez & alii. Et insinuat Leo Papa Epist. 10. cap. 4. Agit utraque forma cum alterius communiione, quod proprium est, Verbo scilicet operante quod Verbi est, & carnis exequente quod carnis est: unum horum coruscet miraculis; aliud succumbit injuriis. Quae verba etiam habet Agatho Papa in Epistola, quae refertur in VI. Synodo Act. 4. Et ibid. Act. 10. in Epistola Sophronii dicitur: Secundum quod Deus parabat miracula, secundum quod homo faciebat humilia & humana. Similia habent alii Patres. Ratio est: quia potentia obediens physica ad quodlibet passim rejicitur velut conficta & impossibilis. Deinde Miraculum subinde consistebat in subtractione divini concursus ordinarii, quae non potest physicè causari ab agente creato. Denique sic absque difficultate res haec clarè explicatur: cum è contrà gravissimam difficultatem patiantur, qui physicam efficientiam miraculorum humanitati Christi adscribunt.

Petes;

21.
In Christo
quò homine
est gratia
capiti super
omnem Ec-
clesiam, et
iam quò
Angelis &
Beato con-
stantem.

Petes, an & quid sit in Christo gratia capitis? Resp. Christum esse *Caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius* juxta Apostolum *ad Ephes. 1.* Idem docet *cap. 5.* Ecclesia autem constat, tum viatoribus qui sunt in Ecclesia militante (quibus annumerari possunt animæ in purgatorio) tum hominibus beatis, qui sunt in triumphante, quæ est Ecclesia primitivorum conscriptorum in cælis; immo etiam beatis Angelis, ex quibus juxta Patres constat quoque universalis Ecclesia. Unde Apostolus *ad Coloss. 2.* de Christo quò homine (ut patet ex contextu) ait: *Estis in illo repleti, qui est caput omnis principatus & potestatis.* Ratio est: quia sicut caput est pars corporis prima & dignissima, in qua exercentur operationes vitales, animales & racionales, & quæ cetera membra gubernat ac in illa influit; sic Christus quò homo est dignissima persona omnium, ex quibus mysticum universalis Ecclesiæ corpus coalescit, ipseque influit in omnes viatores dona gratiæ, in beatos insuper gloriæ; uti juxta multos (de quo infra) etiam in Angelos; in quos saltem influit illuminationem (sicut Angeli superiores illuminant inferiores) & non modicum gaudium accidentale. Non est tamen Christus propriè caput damnatorum, etsi caput eorum fuerit dum essent viatores: quia de facto non influit in illos aliquod donum salutare. Est equidem caput etiam infidelium & malorum Christianorum, etsi non quatenus mali sunt & infideles (quorum eatenus caput est diabolus) quia similiter in illos influit multa bona: quamquam soli justi sint membra hujus capitis viva, vegetata ab illius Spiritu vegetante.

Non est
Christus
propriè caput
damnato-
rum,

Est tamen
malorum
viatorum,

22.
Ratio capitis
in quo consi-
stet.

Sed variant Doctores in quo consistat vel fundetur hæc ratio Capitis. Omissis aliorum dicendi modis, Dico radicaliter fundari in Unione hypostatica, quæ Christum constituat personam dignissimam, & quam consequetur velut proprietas gratia habitualis summa; quæ etiam ad meritum & satisfactionem requirebatur: quibus accedebat divina acceptatio, sine qua opera Christi, quantumvis excellentia, in ceteros meritorie non influxissent. Adeoque hæc tria concurrunt ad completam gratiam capitis, sive ad Christum statuendum in ratione supremæ personæ proximè potentis influere in cetera membra. Est enim hæc sermo de capite meritorie influente in membra. Alioquin simpliciter Unio hypostatica constituat Christum personam dignissimam seu Deum hominem, adeoque hæc ratione caput; sed (ut dixi) insufficienter ad sensum præsentis loci.

23.
An Christus
rectè dicatur
membrum
Ecclesiæ.

Petes, an Christus rectè dicatur membrum Ecclesiæ? Resp. quodam sensu Aff. est enim pars excellentissima Ecclesiæ seu corporis mystici, utique constans etiam capite, seu illud includens: sicut corpus

physicum constat capite tamquam parte seu membro. Quodam autem sensu factis obvio Neg. prout scilicet membrum sonat partem ab aliarum influxu dependentem: Christus enim non dependet à reliquis membris Ecclesiæ.

Dico IV. Christus ab initio conceptionis habuit in gradu perfectissimo omnes virtutes & dona, quæ ex ratione sua particulari non involvunt imperfectionem Christo inconvenientem. Ita omnes Doctores: quia Christus dignificari debet quantum commodè potest, & Unio hypostatica connaturaliter, morali saltem connaturalitate, exigebat, ut omnes perfectiones possibiles ac decentes conferrentur Christo. Et (ut Scotus d. 13. quest. 4. num. 9. ait) in commendando Christum malo excedere, quam deficere à laude sibi debita, si propter ignorantiam oporteat in alterutrum incidere. De septem quoque donis Spiritus sancti expressa est Prophetia *Isaie 11.* quòd & super Christum requiescerent. Idem autem est de ceteris donis & gratiis, etiam actualibus, quatenus Christo congruerent.

Dixi, quæ ex ratione sua particulari non involvunt imperfectionem Christo inconvenientem; prout involvit fides, quæ tendit in Deum obscure, ideoque à beatis exulabit in patria, & consequenter exulavit à Christo in via jam beato. Idem est de spe, si & ipsa sit evacuanda in patria, ut Plerique doceant. De quò in *Tract. de Virtut. Theolog.* Quamquam non sit incredibile dari habitum generalem amoris concupiscentiæ Dei, qui fortitur non in spei, quatenus tendit in bonum possidendum, etsi idem habitus vitaliter teneat bonum jam possessum; qui consequenter fuisset in Christo, & per illum potuisset sperare beatitudinem corporis, & forte quædam alia nondum obtenta. Idem quoque est de pœnitentia, quatenus connotat propriam culpam aut dolorem de illa; item de continentia quatenus connotat motus propriæ concupiscentiæ. Abstrahendo tamen à connotato, verè in Christo est amor honestatis istarum virtutum, adeoque ipsæ virtutes.

Ubi notandum, virtutem pœnitentiæ denominari à connotato quodam actus secundarii, scilicet à dolore, vel à pœnalitate, quam quis subit, ut jus Dei peccato læsum vindicando in se peccatum restituet. Ipsa autem virtus pœnitentiæ secundum se primario inclinatur ad jus Dei servandum illæsum, secundario ad detestandum peccata seu quidquid jus illud lædit, & consequenter ad idem, si læsum fuerit, reparandum, culpam ordinando per pœnam satisfactoriam. In Christo itaque est virtus ista quoad actum primarium, adeoque quoad habitum. Est etiam quoad actum secundarium: detestatur enim quidquid lædit jus Dei,

24.
Christus
initio habuit
omnes ver-
tutes & do-
na, quæ ex
ratione sua
particulari
non involvunt
imperfectionem
Christo incon-
venientem.

25.
Non fuit
Christus
propriè caput
damnato-
rum,

Pœnitentia
quòd scilicet
ipso factum
voluntatis
est.

26.
Quòd de
Christo dicitur
quòd dicitur.

Dei, scilicet peccata nostra. Non tamen est in eo adus secundarius, quatenus respicit seu connotat peccata propria. Non etiam, quatenus connotat dolorem detestationi adjunctum; quamvis hic non defuerit in Christo viatore. Non denique, quatenus respicit vindictam seu poenalitatem a poenitente subeundam: quamvis in Christo viatore fuerit etiam voluntas in se perferendi seu vindicandi peccata nostra, poenas acerbissimas subeundo. De his tamen vult, ut nos detestemur peccata nostra cum dolore ac poenalitate; quæ voluntas etiam reduci potest ad honestatem poenitentia.

QUESTIO III.

De Operatione humane Voluntatis Christi ejusque cum divina Concordia: Item de Libertate ac Impeccabilitate illius.

Dico I. In Christo non solum est voluntas divina, sed etiam humana, hæcque habuit humanas operationes. Est de fide contra *Monothelitas*. Et patet ex VI. Synodo Act. 4. & 8. Lateranensi sub Martino I. can. 10. & aliis Conciliis. Patet etiam ex Scriptura, in qua Christus voluntatem seu volitionem suam distinguit à voluntate seu volitione Patris, *Matth. 26. Non sicut ego volo sicut tu. 1. Ioan. 5. Non quero voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me.* Et alibi: ergo præter divinam voluntatem Patris Christo communem, fuit in illo alia voluntas, aliæque volitio, utique humana. Ratio est: quia voluntas sequitur naturam; quæ cum fuerit duplex in Christo, etiam juxta *Monothelitas*, patet in eodem fuisse duplicem voluntatem. Quam etiam absurdum esset admittere, & actum seu volitionem alterutri negare; cum divina quidem volitio naturæ & voluntati divinæ identificetur; voluntas autem humana connaturaliter actum exigit, nec sit ratio ob quam ei negaretur, immo sit necessarius ad meritum & satisfactionem. Ex quibus etiam evincitur Hæresis *Monothelitarum*, si duplici voluntate admissa tantum negaverint duplicem in Christo volitionem, ut existimat *Vasquez*, non valens credere, quomodo rem tam evidentem, scilicet duplicem voluntatem admissam duplici naturâ, *Monothelita* negare potuissent. Verum pariter est evidens ineptia, amissis potentiis negare actus. Id equidem ex Synodo VI. satis constat, cum *Monothelitis* non fuisse quæstionem de sola potentia volitiva humana, sed potissimum de ejus operationibus elicitis. Dico elicitorum: nam actus aliarum potentiarum, qui in nobis solent à nostra voluntate impe-

rari, v.g. ambulationem, locutionem &c. non negarunt, sed voluerunt illos procedere in Christo ex imperio voluntatis divinæ: Unde consequenter obedientiam, meritum, satisfactionem Christi, quæ utique exigunt actus elicitos creatæ voluntatis, destruxisse respsâ convincuntur.

Neque oportuit *Monothelitas* timere utriusque voluntatis in operando discordiam: si enim in hominibus beatis Deus tam immobilem eorum cum divina voluntate consensum firmavit, quanto magis in Christo perfectissimam utriusque voluntatis conformitatem procurare potuit, adeoque procurasse censendus est, sic ut nil omnino voluntas humana decerneret, quod à divina foret exorbitans? De quo tamen *Concl. 3.*

Non etiam faveat *Monothelitis* unitas subsistentiæ seu personalitatis in Christo; nam voluntates sequuntur naturam, non personalitatem, ut rectè *Damasc. l. 3. de fide c. 14.* Unde è contra in tribus personis est unica voluntas propter unitatem naturæ, non obstante multiplicitate personalitatum; ut rectè arguit *Damascenus sup.*

Quod dictum est de voluntate, dicendum etiam est de intellectu & reliquis potentiis humanitatis Christi, ideoque in VI. Synodo Act. 4. refertur, & Act. 8. recipitur *Epistola Agathonis Papæ*, in qua generaliter definitur, unamquamque naturam in Christo, divinam scilicet & humanam, proprietatem naturalem habere, & divinam habere omnia quæ divina sunt, & humanam omnia quæ humana sunt, absque ullo peccato.

Dico II. In voluntate humana Christi fuit varietas actuum innoxiorum, etiam inefficacium, & passionum consequentium, scilicet gaudii, tristitiæ &c. Patet ex VI. Synodo cit. Et specialiter de actibus inefficacibus, *Matth. 26. Pater si possibile est &c. Verum tamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* De tristitia *Did. Tristis est anima mea usque ad mortem.* De timore filiali *Isaie 11. Replebit eum Spiritus timoris Domini.* De timore mortis *Marci 14. Cæpit pavere, & cadere.* Ratio est: quia ejusmodi actus & passiones innoxie aperte ostendebant veritatem susceptæ carnis, erantque ad finem redemptionis accommodatæ.

Dico III. Inter humanam & divinam voluntatem Christi nulla fuit contrarietas. Patet ex VI. Synodo Generali Act. 4. & 17. Item ex Scriptura, in qua Christus testatur suum cibum esse, ut faciat voluntatem Patris. Ideoque *Joan. 8. ait; Ea quæ placita sunt ei, facio semper.* Idemque exigebat sanctitas & perfectio Christi.

Nec obstat, quod Christus noluerit mortem seu passionem, quam Pater volebat: quia illam refugiebat tamquam naturæ contrariam, appetens eandem simul tamquam à Patre injunctam, & redemptioni nostræ

28. Et cum opina ma utriusq concordia.

Voluntas sequitur non personalitatem, sed naturam, cum jus proinde multiplican tione multum pliatur.

29. Reliqua similiter potentia & operationes earum fuerunt in humanitate Christi.

30. Varia operationes & passiones fuerunt in humana voluntate Christi.

31. Inter humanam & divinam voluntatem Christi nulla fuit contrarietas.

Nequidem tam humana voluntas refugiebat mortem.

24. In Christo est duplex voluntas cum operationibus suis.

25. In Christo est duplex voluntas cum operationibus suis.

26. Quod in istis articulis dicitur.

nostræ necessariam. Neque etiam refugio-
bat illam efficaciter, sed sub conditione re-
latâ ad voluntatem Patris sive divinam.
Quis affectus inefficax sub alio motivo eli-
citus non est contrarius voluntati efficaci
rei oppositæ, voluntati (inquam) etiam
eiusdem naturæ; quâto minus voluntati
naturæ distinctæ, scilicet divinæ? præfer-
tim cum illam ipsam voluntatem ineffica-
cem divina voluntas approbaret, quatenus
sic in Christo veritas assumptæ carnis passi-
bilis pateceret.

32. *Efficax hu-
jus voluitis
semper fuit
impleta.*
Dico IV. Etsi inefficax Christi volun-
tas non semper sit impleta, ut patet, efficax
tamen semper impleta fuit: quia decuit dig-
nitatem Christi, & perfectam humanæ il-
lius voluntatis cum divina conformitatem,
ut humana nihil efficaciter vellet, nisi idem
efficaciter vellet divina: sed hæc semper fuit
impleta; ergo & illa.

33. *Obiectio de-
sumpta ex
VI. Synodo
& Agatho-
ne Papa.*
Dices: *Agatho Papa in Epistola relatâ in VI.
Synodo act. 4. & ipsa VI. Synodus Act. 10. supponunt in Christo fuisse absolutam & effica-
cem voluntatem recusandi mortem: cum
inde colligant distinctionem humanæ vol-
untatis à divina. Quæ tamen collectio
aliàs non valeret. Sicut non rectè colligitur
in homine vel in Deo duplex voluntas
ex eo, quòd habeat volitionem efficacem
alicujus rei, & inefficacem rei oppositæ. Ergo
voluntas humana Christi absoluta non
semper fuit divinæ conformis, nec semper
impleta. Admittunt aliqui argumentum Pa-
pæ & Synodi non esse efficacem. Quod tamen
non facilè admittendum, quando scilicet
alius modus respondendi superest. Quare
alii Respondent Neg. Aff. collectio enim
Pontificis est equidem bona, satisque fun-
datur in excusatione mortis inefficaci, eo
modo quo in Scriptura refertur; ubi dicitur:
Non mea voluntas, sed tua fiat. Ex quo rectè
infertur, quòd aliqua sit in Christo volun-
tas, utique humana (quam solam *Monothelites*
negabant) quæ non sit in Patre.
Et Synodus idem infert ex eo, quòd recu-
satio mortis fuerit per modum orationis:
clarum enim est Christum per divinam volun-
tatem non ita recusasse mortem, ut eam
amoveri oraret.*

34. *Instantia,*
Ristabis: Etiam colligit Papa distinc-
tionem ex eo, quòd quidquid Pater voluit,
factum sit, non ita quidquid voluit Chri-
stus homo. Quod utrimque de voluntate
efficaci est intelligendum, ut subsistat dis-
crimen: nam etiam non quidquid Pater vo-
luit inefficaciter, factum est: ergo volun-
tas efficax Christi aliqua non fuit impleta;
adeòque fuit difformis voluntati Patris,
aliàs enim foret impleta. Responderi po-
test. Dist. primum Consequens: voluntas
efficax absolutè & undequaque Nego: ali-
quo modo Concedo, & tunc Nego secun-
dam Sequelam: nam potuit esse efficax me-
diorum ex parte sua naturaliter possibilium

35. *Responsio
prima.*

adhberi, non tamen finis seu effectus ulti-
mati, v.g. *Marci 7. Neminem voluit scire,* adhi-
bendo ex parte sua ad hoc media (idque
conformiter ad voluntatem Patris) & non
potuit latere aliunde; idque absolutè, non
tantum Pater, sed etiam ipse Christus ho-
mo volebat. Discrimen itaque est, quòd
quidquid Deus vult absolutè, possit fieri
& fiat, si media adhibeat, quæ ex parte sua
adhibere potest: voluntas autem humana,
etsi illa, quæ naturaliter potest, adhibeat,
non semper impleatur. Quamquam mate-
rialiter & concomitanter semper sit imple-
ta in Christo; tunc scilicet non volente effe-
ctum absolutè, aut aliunde nolente impedire
media in oppositum. Resp. II. posse Ponti-
ficem explicari, ut indicet Christum huma-
nâ voluntate conditionatè aliquid voluisse
quod non poterat propriâ humanitatis vir-
tute consequi: Deum autem nil velle etiam
voluntate antecedente, quòd nequeat per
seipsum implere.

36. *Voluntas
humana
Christi
essentiam
dem fuit
libera.*
Dico V. Voluntas humana Christi fuit
libera. Est certum, immo de fide. Patet ex
VI. Synodo Act. 4. definiente in Christo
fuisse proprietates naturales, & propriam
operationem naturæ humanæ: una autem
istarum est liberum arbitrium, & operatio
libera est homini maximè propria. Idem
colligitur ex Scriptura *Isaia 53. Oblatus est,
quia ipse voluit,* id est, juxta *Hieronymum,* non
necessitate, sed voluntate crucem subit.
*Ioan. 10. Nemo tollit animum meam à me, sed
ego pono eam à me ipso, & potestatem habeo po-
nendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi
eam: hoc mandatum accepi à Patre meo.* Accedit
unanimes consensus Patrum; quorum præ-
cipuos citat *Suarez d. 37. sect. 2.* Ratio est: quia
libertas est præcipua perfectio hominis, quâ
præstat brutis; et quæ necessaria ad meren-
dum & satisfaciendum.

37. *Non solum
à coactione,
sed etiam à
necessitate.*
Neque ullus dubitat de libertate à co-
actione, quæ est deliberata spontaneitas, seu
libentia, ut sic loquar: hæc enim est intrin-
seca actibus, etiam maximè necessariis vo-
luntatis, quæ ad nullos actus suos cogi po-
test, ac in Christo deliberationem intelle-
ctus non prævenit. Verumtamen non de
hac sola, sed de libertate à necessitate po-
tissimum intelligenda est conclusio juxta
Doctores Catholicos unanimiter. De hac
enim loquuntur Auctoritates: eademque
reperitur in actibus etiam ceterorum ho-
minum. Eadem denique juxta fidem re-
quiritur ad meritum, uti ad *sententiam*;
prout ex professo in *disp. de Merito* osten-
ditur, & contra *Supremum* definivit *Inno-
centius X.* de fide tunc est Christum ve-
rè nobis meruisse. Unde etiam est Con-
clusio de fide, intellecta de libertate indif-
ferentiæ.

38. *Nec obstat
Christi*
Nec obstat libertati Christi omnium il-
lius actuum præfinitio: hæc enim (scilicet
admittenda) non aliam intulit necessita-
tem,

si aeterna
praedestinatio

tem, quam consequentia, & sensus compositi. Quod similiter contigit in ceteris electis.

Multò minus propriorum actuum clara praesentia.

Minus obstat clara actuum, propriorum praesentia: hæc enim erat natura posterior prævisâ Christi determinatione ad agendum.

38. Difficultas maior est de visione beatifica quoad opera quæ erant in præcepto.

Magis obstat videtur visio beatifica, quæ Christum determinabat ad amorem ac amicitiam Dei, adeoque adimpletionem mandatorum; ex quo sequi videtur, ipsum non fuisse liberum in materia præcepta, adeoque juxta Doctrinam nostram non meruisse per passionem mortis ei præceptam, quod tamen non potest admitti. Difficultas hæc gravis est, in qua dissolvenda varîe laborant Doctores Catholici.

Difficultas prima responsio

Respondent Nonnulli, salvari libertatem Christi per hoc, quod præceptum moriendi fuerit ad nutum ejus dispensabile. Sed hoc apparet gratis excogitatum, præter ordinarium morem præcipiendi, multumque diminuit rigorem præcepti, & rationem obedientiæ. Et potius sicut constat de absoluta voluntate divina ad liberandum & salvandum hominem lapsam, sic quoque supponenda videtur voluntas absoluta præcipiendi Christo, tum mortem, tum alia remedia salutis hominis lapsi, v. g. annuntiationem Evangelii &c.

35. utriusque voluntatis distinctio

Alii respondent libertatem Christi in subeunda morte salvari per hoc, quod Christus mortem liberè elegerit, naturâ saltem prius, quam ei à Patre præciperetur; immo petierit hujusmodi præceptum sibi imponi. Verum non satis ita apparet meritum & libertas Christi in acceptatione præcepti vel mortis quatenus jam præceptæ, seu quomodò meruerit per actum obedientiæ. Permittendo enim aut etiam petendo tale præceptum sibi imponi, potius libertatem sibi abstulisset, ponendo se in statu, in quo amplius ei non foret indifferens agere & non agere. Sicut actiones stultorum aut ebriorum non sunt liberæ, etsi sibi stultitiam aut ebrietatem spontè procurassent. Prout nec amor beatorum per hoc fit liber, quod illum quis liberè hic per meritum intendat & obtineat.

39. Refellitur secunda responsio.

36. solum actuum voluntatis distinctio

Quocirca Suarez & plures alii respondent Christum in materia præcepta fuisse liberum, si non quoad substantiam, saltem quoad circumstantiam loci & temporis, ac variâ motiva, ob quæ poterat præceptum implere. Similiter quoad actus reflexos, quibus impetionem operis Patri offerebat, quantumvis non fuisset præceptum, aut esto quod potuisset illud vitare. Sed quia Christus etiam meruit per acceptationem mortis quoad substantiam, & meruisset, etsi mors secundum omnes circumstantias singulares ei præcepta fuisset, idcirco si fieri possit, adstruenda po-

40. Adferunt tertia responsio.

37. solum actuum voluntatis distinctio

tius videtur libertas in Christo etiam quoad substantiam ipsius mortis seu tolerantia ejusdem.

Alii itaque respondent visionem beatificam non determinasse hic in via Christum physicè ad amorem: sive quia Deus hujusmodi determinationem miraculosè suspendit propter exercitium libertatis & meritum in materia præcepta: sive (ut Scotista docent) quia visio ex natura sua non determinat physicè etiam alios Beatos ad amorem beatificum: cum non sit principium illius, sed conditio applicativa objecti, infiniti quidem, finito tamen modo, juxta finitam capacitatem voluntatis creatæ: hæc autem sit essentialiter libera, habeatque subordinatum sibi habitum charitatis; adeoque videatur manere intrinsicè & physicè indifferens non obstante visione. Physica verò determinatio ad amandum si sit in Beatis, oritur ex physica prædeterminatione Dei; quæ potuit in Christo viatore ob finem nostræ redemptionis suspendi. Immo & hæc prædeterminationem, quæ intrinsicè indifferens auferat, plures Scotista non admittunt etiam in ceteris Beatis. Videturque modus hic de se facilis. Eligatur tamen magis gratus.

41. Allegatur quarta probabilis responsio.

Non obstat denique quod Christus ratione Unionis hypostaticæ fuerit impeccabilis, ut mox dicetur, adeoque non fuerit liber in materia præcepta ad agendum & omittendum. Dico enim, quod spectatâ potentia intrinsicè humanæ voluntatis potuisset Christus præcepta implere & non implere: quamvis ratione Unionis hypostaticæ is illi debebatur providentiæ modus, cum quo non posset peccatum consistere; ideoque ei provisum fuerit de tanta gratiarum congruarum abundantia, cum qua infallibiliter sciebatur impleturus præcepta. Quæ Christi Impeccabilitas, quatenus divinæ providentiæ suberat, non tollebat illius in præceptis adimplendis libertatem. Estque id verum, quantumvis Christus vi Unionis foret impeccabilis etiam de absoluta potentia, per hoc quod implicet Verbum non impedire peccata naturæ sibi unitæ: sufficit enim, quod debeat infallibiliter providere, ne unquam peccet natura sibi unita: hoc autem providere potest per media non præjudicantia indifferentiæ intrinsicæ voluntatis: cujus alioquin naturam Unio hypostatica non immutat, neque in eam influit.

42. Impeccabilitas Christi non obstat libertati in materia præcepta.

Dico VI. Christus peccatum non fecit; ut dicitur 1. Petri 2. & alibi in Scriptura, Conciliis & Patribus passim contra Calvinum, qui horrendè blasphemavit Christum in cruce desperasse. Sed non de ordinaria potentia peccare potuit, ut docent Patres & omnes Catholici.

43. Christus non peccavit.

Immo nec
peccare
potuit de
ordinata
potentia,

44.
An Unio
hypostatica
faciat hu-
manitatem
etiam de
potentia
absoluta im-
peccabilem.

Ratio id
non satis
ostendit.

tholici. Idque in primis ratione Unio-
nis hypostaticæ, cui debebatur talis gra-
tiarum plenitudo, quæ non tantum iusti-
ficaretur, sed & in omni bono firmare-
tur. Deinde ratione beatitudinis, quam
habuit ab instanti conceptionis. Denique
ratione finis Incarnationis, qui est red-
emptio à peccatis.

Nihilominus Unio hypostatica non
reddidit Christum de absoluta potentia
impeccabilem; juxta Durandum & Ga-
brielem. Colligiturque ex Scoto, partim d.
2. qu. 1. n. 9. partim d. 12. n. 2. & sequuntur
communiter *Scotistæ* contra plerisque a-
lios, quorum Nonnulli temeritatis nimis
temerè notant *Scotistarum* opinionem; quæ
tamen spectatâ ratione est longè solidior.
Probat: quia natura assumpta ex vi U-
nionis præcisè non redditur in se potent-
ior, sapientior &c. sed ipsa ejusque po-
tentia manent ejusdem rationis cum nos-
tra natura & potentia illius: neque suffi-
cienter hætenus quisquam ostendit, quòd
Deus absolutè loquendo teneatur aliud
donum superaddere, aut eam exterius pro-
tegere, vel aliud facere, ne possit pecca-
re. Confirmatur: quia nulla est physica
oppositio inter unionem hypostaticam &
omissionem alicujus præcepti aut volitio-
nem objecti vetiti: cum non sint in eo-
dem subjecto, neque unio ipsa sit princi-
pium effectivum actus peccato repugnan-
tis, neque instar formæ voluntatem Chri-
sti, alioquin ejusdem rationis cum nostra,
necessariò ad talem actum determinet si-
ve ad non peccandum; immo non neces-
sariò ipsa unio per intellectum præpona-
tur voluntati, utpotè quæ posset ignorari
absolutè loquendo ab eo qui unionem ha-
bet. Nil denique cum unione absoluta ne-
cessitate connexum id præstat. Accedit,
quòd saltem non implicet humanitatem
Verbo unitam peccando unionem amitte-
re; sicut iusti amittunt gratiam peccando.
Et quàmvis ob hoc quidam excogitave-
rint humanitatem Christi productam esse
per ipsam unionem hypostaticam, id ta-
men non satisfacit; cur enim repugnat
humanitatem aliter produci, immo unio-
ni præexistere? Tunc ergo non implica-
bit quòd præmissum est. Quod si urgeat
quis, etiam tunc operationem consequi
supposititalitatem & unionem posterius nat-
urâ. Contrâ: cur implicat saltem huma-
nitatem operari prius naturâ quam unia-
tur?

45.
Patres quo-
que patuntur
explicatio-
nem.

An salica-
su Verbum
disceretur

Nec obstant Patres objici soliti: qui
satis possunt explicari de potentia ordi-
naria, & de impotentia peccandi morali.
Quo modò faciliùs apparet libertas Chri-
sti in materia præcepta.

Non obstat etiam, quòd sequi videat-
ur Verbum posse peccare & esse pecca-
torem: nam hoc ratione communicatio-

nis idiomatum non deberet magis absur-
dum videri, quàm quòd nunquam dicatur
passum, immo mortuum: cum tamen vita
sit perfectio maximè Deo essentialis.

Instabis, culpa humanitatis verè redun-
daret in Verbum, eò quòd hoc unitum
humanitati in supposito unitate deberet il-
lam dirigere, & ne peccet impedire. Sicut
obligator rex impedire subditorum deor-
dinationes, quæ alioquin ei imputantur;
prout etiam voluntati imputatur inordi-
nata appetitûs sensitivi, aliarumve poten-
tiarum operatio. Resp. Neg. Ass. Ad pro-
bationem dico, non aliter obligari Ver-
bum impedire peccatum humanitatis ei
unitæ, quàm obligetur Deus Pater aut
Spiritus sanctus: obligatio enim cadens in
divinam Christi voluntatem debet, uti
ipsa voluntas, esse communis tribus per-
sonis. Quare non aliter tenetur impedire,
quàm peccata aliarum creaturarum, sci-
licet per præcepta, comminationes, con-
silia &c. Esto speciali obligatione ex lege,
contractu vel officio teneretur Superior
impedire peccata subditorum. Similiter
voluntas obligatur regere ceteras poten-
tias sibi subiectas, quæ non habent distin-
ctam libertatem, & fundantur in eadem
natura rationali; quàm ut sic consequitur
obligatio vitandi peccatum in se & suis
potentiis: quòd non nisi per voluntatem
tamquam principium liberum fieri potest.
In Christo autem sunt duæ totales natu-
ræ, singulæ liberæ, & singulæ (non au-
tem suppositæ, ut sic) consequitur pro-
portionata obligatio; adeoque peccatum
naturæ humanæ non redundaret in di-
vinam, etsi in unitate suppositi conjun-
ctam.

Ex prædictâ opinione *Scotistarum*, col-
ligi potest à fortiori, posse cum Unione
hypostatica consistere de potentia abso-
luta peccatum habituale, quòd v. g. an-
tea commisisset humanitas tempore præ-
existens prout præexistere potuisset. Alii
tamen consequenter docent implicare, ut
unio hypostatica sit in subjecto, quòd
non sit aut hoc ipso quòd uniatu Verbo
non fiat gratum Deo.

Q U Æ S T I O I V.

De Merito voluntatis Christi.

s. 1.

An & per quos actus Christus
meruerit?

Dico I. Christus ejusve voluntas hu-
mana verè & propriè meruit. Est de
fide. Patet ex *Isaie 53. Vers. 10. & 11. Ad Rom. 8. Vers. 18. ad Philipp. 2. Vers. 9.* Idem patet
ex

46.
Christus
humana
voluntas

ex

operations proprie merito.

ex Trid. sess. 6. cap. 7. ubi Christus dicitur causa meritoria nostrae justificationis. Denique ex conditionibus meriti, quae actibus Christi perfectissimè conveniunt.

47. Etiam per actus amoris Dei, ac virtutum moralium, immo per quoslibet actus.

Dico II. Christus meruit, per actum dilectionis tam Dei quam proximi, per actus virtutum moralium etiam praeceptos, immo per quoslibet actus liberos. Ratio generalis est: quia omnibus illis potuerunt convenire conditiones meriti: cum actus etiam praecepti essent Christo liberi: actus quoque virtutum moralium aut ex objecto indifferentes dirigerentur à Christo per virtutem supernaturalem ad gloriam Patris. Immo etiam hoc secluso videntur actus in se honesti, etsi forte naturales, (secus foret de indifferentibus ex objecto & fine) fuisse in Christo meritorii, Unione hypostatica seu dignitate personali supplete actus supernaturalitatem: sicut etiam dignitas personae aequalem valorem omnibus actibus, etsi alioquin in se inaequaliter perfectis conciliavit. Vide Suarez disp. 39. sect. 2.

48. An per actum fructus beatitudinis, probabiliter disputatur.

Solum est difficultas de actu dilectionis Dei, qui consequens visionem beatificam juxta plerosque Doctores non erat liber à necessitate, adeoque nec meritorius. Et quamvis liber foret, adhuc videtur posse dubitari, an in Christo fuerit meritorius: eo quod etsi is foret viator, actus tamen ille non competeret ei quia viatoris, sed quia comprehensori. Supposita tamen libertate ex parte operis, non improbabilius ei posset concedi vis meritoria, dicendo ad hoc sufficere, ut in operante simpliciter reperiat status viae, etsi alioquin actus ipse ad viam non pertineat. Unde ad hoc inclinat Scotus d. 18. n. 9. Ac n. 10. in fine movens dubium, an fructus respectu Verbi in se seu ipsius Deitatis sit actus meritorius, vel actus ille ut tendit in objecta alia relucens in Verbo; Respondet: posset dici, quod utroque modo, & maxime ut actus tendit in alia objecta à Deo, visa & dilecta ibi; in qua tendentia clarius apparet libertas. Tandemque conclusit: Eligatur via magis gratia. Itaque si quis eligere malit, Christum non meruisse per amorem beatificum ut sic, adhuc dicere posset cum Doctoribus passim ipsum meruisse per alium saltem actum amoris Dei, sive naturalem (ut vult Praepositus) sive supernaturalem, quo volebat Deo bona extrinseca, v. g. laudem creaturarum &c. (ut vult Lopez) aut certe supernaturalem, qui consequeretur scientiam Christo infusam in proprio genere, adeo sit tum duplex notitia, tum duplex Dei amor supernaturalis in Christo fuerit, ut Suarez sup.

§. II.

Quo tempore, & quid sibi meruerit?

Dico III. Christus meruit toto tempore vitae mortalis, scilicet ab instanti conceptionis usque ad instanti mortis. Ita communiter Doctores. Ratio est: quia isto tempore duravit in Christo status viatoris ad meritum requisitus; nec aliquid etiam in somno effluxisse sine merito, satis persuadet Christi perfectio. Deinde toto tempore praefato habuit potentias expeditas, & à phantasmate independentes, ac in operando infatigabiles. Unde etiam meruit in iplo instanti conceptionis, in quo utique habebat potentias expeditas & principia merendi. De ipso instanti mortis dicendum, quod Christus in illo meruerit, si sit vitae intrinsicum; non meruerit, si extrinsecum: de quo Philosophi variant, nec sacri Doctores fuerunt solliciti, dum Christum asserunt per mortem nobis meruisse.

49. Meruit jugiter ab instanti conceptionis inclusivè usque ad instanti mortis exclusivè, si sit extrinsecum; alius etiam inclusivè.

Unde nec meruit Christus per vulnus laterale, utpote juxta textum Scripturae & Clementinam unicam de summa Trinit. inflictum post mortem; sed meruit per liberam illius praevisi in vita acceptationem, sui que oblationem ad illud post mortem sustinendum. Et hoc modo explicari potest Leo Papa Epist. 4. cap. 6. Ambrosius l. 10. in Lucam cap. 23. Et quod canit Ecclesia, Christum vulneratum mucrone divo lanceae, atque ut nos lavaret crimine seu fordibus criminum, mansisse unda & sanguine. Scilicet quod susceptio istius vulneris fuerit meritoria objective, non formaliter. Vel etiam explicari posset de significatione mystica aquae & sanguinis, quae ex latere Christi effluerunt, quod significarent duo principalia Sacramenta, Baptismi & Eucharistiae: quibus tamen efficaciam constat esse collatam ex merito & passione Christi viventis.

50. Non meruit proinde per susceptionem vulneris lateralis.

Dices: Christus etiam nunc orat sive interpellat pro nobis; ut dicitur ad Rom. 8. ad Heb. 7. & 1. Ioan. 2. quidquid Vasquez illas Scripturas ad sensum improprium detorqueat, existimans Christum nunc tantum interpretativè pro nobis orare, quatenus sanguis & vulnera sunt patri praesentia, eumque ad misericordiam flectunt. Ex hoc autem sequi videtur, eum etiam post mortem mereri, scilicet exauditionem. Resp. admissio Antec. Neg. Conseq. quia Christus in via meruit, ut in caelo orans semper exaudiretur. Alioquin oblatione corporis sui omnia (adeoque & meritum) consummavit, juxta Apostolum ad Heb. 10. Quod si quis vellet orationem

51. Etiam in caelo pro nobis, citra novum meritum.



nem sumere; ut significet manifestationem desiderii ad obtinendam rem, cujus collatio non est in potestate physica vel morali petentis seu desiderantis, rectè sequeretur Christum in cælo non orare. Sed gratis ita sumitur. Et alioquin juxta hunc sententiam Christus nequidem in terris orasset.

52.
Non meruit
gloriam essen-
tialem
aut gratiam.

DICO IV. Christus non meruit visionem vel fruitionem beatificam, aut gratiam sanctificantem, aliave principia ad dictos actus requisita: bene tamen gloriam corporis, nominis sui exaltationem, resurrectionem, ascensionem, ac januæ cælestis relevationem. Quò etiam pertinent dotes corporis gloriosi, potestas judicis, exaltatio nominis pgr testimonia in baptismo ac transfiguratione &c. Ita communiter Doctores.

Prima pars contra Nonnullos probatur: quia alioquin debuissent in Christo aliqui actus præcedere, quibus ista meruisset: sed hoc non contingit; cum isti actus, utpotè perfectissimi, fuerint omnium primi: maximè cum equidem oportuisset alios actus, qui præcessissent, datos esse sine merito, ne alioquin procedatur in infinitum: quare congruebat, ut primi omnium inessent sine merito, qui erant perfectissimi, & Christo equidem connaturaliter quasi debebant. Ex quo idem patet de visionis & fruitionis principis, quæ adhuc minùs debuerunt cadere sub merito. Et de gratia sanctificante est speciale, quòd sit principium meriti etiam in Christo, adeòque juxta commune axiomata non cadat sub merito. Alioquin non apparet repugnantia in hoc, quòd Christus meruisset gloriam essentialem, si videlicet priùs naturà eliciuisset actum amoris consequentem scientiam abstractivam Dei, & dependenter ab illo seu ob illum obtinuisset eodem instanti temporis, sed posteriori instanti naturæ, gloriam essentialem: non enim requiritur temporalis antecessio meriti ad præmiun, sed sufficit prioritas naturæ. Immo & ipsam gratiam de absoluta potentia mereri potuisset per hujusmodi actum, supposito scilicet priùs naturà ipsà Unione hypostaticà, quæ volente Deo sufficere potuisset ad meritum condignum ex parte operantis, etiam abstrahendo à gratia habituali.

53.
Meruit ta-
men sibi
gloriam
corporis, ex-
altationem
nominis &c.

Secunda pars est contra Calvinum & alios Hæreticos, qui dicunt Christum nihil sibi, sed totum nobis meruisse. Probatur ex Scriptura, junctà præsertim Patrum Expositione, Luca ult. *Nonne hæc oportuit fieri Christi, & ita intrare in gloriam suam?* Ad Philipp. 2. *Humiliavit semetipsum &c. Propter quod & Deus exaltavit illum &c. Ad Hebr. 2. Videmus Iesum propter passionem mortis gloriæ & honore coronatum.* Et alibi. Ratio est: quia Christus prædicta non habuit ab initio;

ergo potuit, adeòque decuit ipsum illa mereri: quamvis enim utcumque deberentur ex vi Unionis hypostaticæ, nobilius tamen erat quòd simul deberentur ex merito ea quæ ab initio seu ante omnia Christo inesse non congruebat ob bonum nostrum.

Nec tamen ideo Christus simpliciter dicitur mortuus pro seipso: id enim simpliciter sonat redemptionem sui per passionem: quòd competit solis hominibus in statu naturæ lapsæ. Quamvis secundariò sicut pro seipso merita obtulit, sic & pro se ipso mortuus quodam modo dici queat.

Subtiliter autem observat Scotus d. 18. q. 1. n. 15. & crasse satis à Suarez & aliis censuratur (ut ait Cavellus *ibid. in Scolio*) Christum meruisse sibi gloriam corporis indirectè, quatenus meruit amotionem impediendi, ut sic redundaret gloria animæ in corpus, cum gloria corporis ab initio debita, & miraculosè ob nostrum bonum tantisper suspensa fuisset: ob quòd Scoto visum fuit Christum potius directè meruisse deficionem miraculi prohibentis redundantiam gloriæ in portionem inferiorem & in corpus.

s. III.

An & quid Christus meruerit Angelis?

DICO V. Christus valde probabiliter meruit gratiam & gloriam etiam Angelis, adeòque gratiam Adamo & Hevæ in statu innocentie. Ita Scotus passim cum Ruaro Tappero & Suarez disp. 42. sect. 1. Valentia & multis Recentioribus quòs refert & sequitur Tannerus disp. 1. q. 6. m. 178. contra Doctores communius ut refert & sequitur Smising Tract. 3. de Deo Vno disp. 6. num. 663. & seqq. Probatur Conclusio: quia supposito quòd Incarnatio quoad substantiam fuerit prædestinata ante peccatum, immo ante omnes creaturas (ut supra dictum est) facillimè explicatur, quomodo Christus potuerit mereri gratiam & gloriam etiam Angelis: nam quando Angeli sunt prædestinati ad gratiam & gloriam, jam supponebatur Christus ad illa prædestinatus, adeòque simili facilitate prædestinata erant merita Christi independentia à passibilitate carnis: ob quæ proinde Angelis prædestinata est gratia, immo etiam gloria, saltem in executione; id exigente dignitate Christi omnimò Capitis. Confirmatur: quia alioquin Christus valde imperfectè foret caput Angelorum, ob exiguum in illos influxum, scilicet accidentalis gloriæ & gaudii: quòd tamen in illos etiam influit B. Virgo, quæ equidem non dicitur caput Angelorum, quan-

quantumvis sit illis dignior. Favet praeter ea S. Cyrillus in illud Isaia 54. Latere sterilis quae non parit, dicens de Christo servatore: Quem si quis quasi agricolam omnis creaturae ratione praedixit dicit, à verò neutiquam aberrabit. Per ipsum enim omnis fructificatio spiritualis, tum in sanctis Angelis, tum in nobis ipsis instra est. Favet etiam B. Laurentius Justinianus Serm. de Assump. B. Mariae dicens de eâ super omnes Angelos exaltatâ, quòd horum nemo invadebat illi..... fructus quippe ventris Mariae totam civitatem illam fundaverat sanctitate

quibus est mortuus, & hanc dependisse ^{sensu à} consummative à morte Christi, ut in ob- ^{morte &} jectione dicitur: gratia tamen simpliciter ^{passione à} sanctificativa, & à peccato independens, ^{pendaris.} quae Angelis competit, non dependebat à morte Christi aut passibilitate carnis; uti nec ipsa Incarnatio quoad substantiam.

§. IV.

Quid Christus meruerit hominibus lapsis?

Dico VI. Christus meruit hominibus lapsis gratiam & gloriam, remissionem peccatorum & omnia alia dona gratiae, quae post lapsum primi hominis conferuntur tam reprobis quàm electis: immo etiam omnem dispositionem ad iustitiam, omniaque auxilia & media ad illam. Est communis Theologorum: immo ex diversis Scripturis & Conciliis de fide; exceptâ fortè ultimâ parte, ob auctoritatem quorundam (ut refertur) eam negantium.

Probatur in primis generaliter ex Apostolo ad Ephes. 1. Benedixit nos in omni benedictione spirituali in caelestibus in Christo; sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem. Et hinc quidquid salutare petit Ecclesia, petit per Dominum nostrum Jesum Christum, ut ex Collectis & Orationibus Ecclesiae est apertum.

De remissione peccatorum & confessione poenarum (quarum remissio per- ^{Deinde spe-} tinet ad perfectam remissionem peccato- ^{cialiter de} rum) patet ex Matth. 26. Qui pro vobis effunde- ^{remissione} tur in remissionem peccatorum. Apoc. 1. Lavit nos à ^{peccatorum,} peccatis nostris in sanguine suo. Et alibi.

Hinc idem patet de gratia sanctificante, ^{De gratia} seu habituali; sine qua peccatorum non fit ^{sanctificante,} remissio. Et ex Trid. sess. 6. cap. 7. docente Christum esse causam meritoriam nostrae justificationis; justificatio autem partim est peccatorum remissio, partim gratiae infusio juxta Tridentinum sup.

Ex quo idem patet ad gloriam, ad quam ^{De gloria,} per gratiam acceptamur. Unde est vulgatum & certum apud omnes Christum januas caeli aperuisse. Consonat etiam Apostolus ad Rom. 5. v. 17. & 2. ad Timoth. 1. & Tridentinum sup. c. 16.

De auxiliis praevientibus, quibus ^{De auxiliis} justis ad bona opera excitantur, adjuvan- ^{qua conse-} tur & proteguntur, colligitur ex Tri- ^{vantur ju-} dantino sup. ubi idem patet de operibus ^{stis, & de} meritorius ^{operibus}

De satisfactione, quòd sit per Jesum ^{De satisfac-} Christum, & ex illo docet Tridentinum ^{tione.} sess. 14. cap. 8.

De vocatione atque ad aliis disposi- ^{59.} tionibus & auxiliis ad iustitiam patet ex ^{Denique de} 2. ad Timoth. 1. Vocavit nos vocatione sua san- ^{prima gratia} ctâ secundum gratiam quae data est nobis in ^{vocante} Christi

56. ^{Varia Obje-} ciones.

57. ^{Explicatur} parabola ^{de ove} centesima.

58. ^{Explicatur} parabola ^{de ove} centesima.

59. ^{Meritum} Christi quo

cesserit
dispositio-
nibus ad
iustitiam

sto Iesu, id est, per Christum Jesum. Idem clarè patet ex *Milevitano can. 4. Arausicano can. 25. Tridentino sess. 6. cap. 5.* ubi ait: *Ipsius iustificationis exordium à Dei per Iesum Christum præponente gratiâ sumendum esse, hoc est ab eius vocatione &c.* Ratio conclusionis est, quòd hæc omnia penitus in Adamo amiserimus; ergo fuerunt restituta per Christum, ne magis in nos abundet Adæ peccatum; quàm gratia tanti Redemptoris, in quo omni benedictione spirituali sumus benedicti, juxta Apostolum ad *Ephes. 1.*

Dices: *Et gratiâ sit ab initio fidei sua homo quicumque Christianus, quâ gratiâ homo ille ab initio suo factus est Christus, ut ait August. lib. de Prædest. SS. cap. 15.* Sed hæc absque ullo merito, etiam alieno, factus est Christus; ergo similiter absque omni merito, etiam Christi, homo fit Christianus. Resp. Neg. Con. Augustinus enim inter Christum & Christianum comparationem inscituit in hoc, quòd sicut ille absque proprio merito factus est Christus, ita & hic Christianus. Idque contra Pelagianos eorumque Reliquias constituentes initium salutis cuiusque in propriis, adeòque naturæ meritis. Non autem negat initium salutis fundari in meritis alienis seu gratiâ Christi. Immo etiam purus homo potest alteri de congruo promereri primam gratiam conversionis ad fidem.

Neque oppositum indicat S. Augustinus.

60.
An prima electio ad gloriam & gratiam sit ex merito Christi.

Petes, An Christus meruerit nobis gratiam & gloriam tantum secundum ordinem executionis, an verò etiam secundum ordinem intentionis: hoc est an prima electio sit facta ex meritis Christi. Quæstio hæc difficultatem non habet in sententia illorum, qui censent primam electionem efficacem ad gloriam esse ex prævisis meritis, & perseverantiâ finali, adeòque etiam ex merito Christi. Qui proinde præter electionem, quam vocamus secundum ordinem executionis, non admittunt aliam efficacem ad gloriam secundum ordinem intentionis; sed simpliciter dicunt electionem ad gloriam esse ex meritis Christi. Suppositâ autem electione ad gloriam ante prævisionem meritorum, hanc quoad ordinem intentionis non procedere ex meritis Christi, censet *Smiling Tr. 3. d. 6. num 633.* excipiens gratiam quæ involvit ordinem ad peccatum, v. g. poenitentiam de peccato, quæ cum supponat prævisionem meritorum Christi, videtur esse primò ordinata ex eiusdem meritis. Oppositum equidem est asserendum. Sic enim maximè apparet, quomodo Deus Pater benedixerit nos in Christo omni benedictione spirituali; qualis in dubiè & valde magna est electio ad gratiam & gloriam. Deinde Christus fuit prædestinatus ante omnes alios, & in illo signo priori poterant futura illius merita prævideri, & consequenter ob hæc homi-

Resolvitur quod sit,

nes ad gratiam & gloriam eligi; quod proinde factum esse suadet Christi dignitas, & major inde in nobis ad ipsum refulsans subjectio & obligatio: sicut idcirco de gratiâ præsupponente peccatum hoc ipsum fateatur *Smiling*, qui alium statuit ordinem decretorum Dei. Quòd si electio non præsupponat præscientiam lapsus, adeòque sit prior decreto de mittendo Christo in carne passibili ad patiendum, constat ipsam non posse esse factam ex meritis passionis, utpote necdum absolutè prævisâ, sed ex meritis prævisis independentèr à passibilitate carnis.

Intelligitur autem hæc Doctrina de electione absoluta, quatenus scilicet merita Christi prævisâ fuerunt ratio, ob quam Deus aliquos elegerit; esto non sint ratio electionis comparativæ, seu cur hos potius quàm illos elegerit. Sicut si miles bene meritis offerat Regi sua merita, ut alicui ex suis aliquam dignitatem conferat; venit quidem ex voluntate Regis, quòd hunc potius filium vel nepotem, quàm alios ad illam eligat; tamen verissimè dicitur, quòd Rex voluerit huic filio benefacere propter merita istius patris militis. Quam Opinione sic intellectam non improbat *Cavelus d. 19. n. 9. in Scholio*, addens tamen, quòd isti potius sint electi quàm illi, non oriri ex humana Christi voluntate, sed divinâ, quâ humana regulanda venit, & non è contrâ. Consentit etiam *Wiggers q. 19. dub. 1.* eò quòd non ideo hos præ aliis elegerit Deus, quòd prævideret Christum humanâ voluntate hos magis dilecturum: potius enim Christus è contrâ in tempore fecit. Novissimè tamen *Poncius disp. 38. q. 7.* censet electionem gratiam comparativam horum præ illis esse ex meritis Christi.

§. V.

An Christus meruerit & satisfecerit ex rigore iustitiæ commutativæ?

Deo VII. Christus non meruit ex rigore iustitiæ commutativæ. Ita Doctores plurimi contra varios Recentiores. Ratio est, quòd Deus non sit capax talis iustitiæ in ordine ad creaturam, quasi hæc per ali-quod opus suum posset sibi Deum obligare stricto jure ad aliquid præstandum; idque ob supremum & inabdicabile dominium, & jus Dei super omnes creaturas, earumque jura. Vide dicta. *Tr. de Deo Vno disp. 7. qu. 7. nu. 58. & 59.* Immo seclusâ liberali acceptatione Dei Patris nulla poterat exurgere obligatio mercedis seu præmii, quantumvis supponatur valor operum Christi infinitus. Potuisset namque Pater illa exigere alio titulo, v. g. supremi domi-

61. Loguendo de electione absoluta non censetur ratiô

62. Christus non meruit de rigore iustitiæ commutativæ.

Indignitas liberalis acceptatione Dei Patris ad hunc obligatorem

niii. Et hoc seculo, adhuc ad independen-
tiam, sumam à quibusvis rei creatæ a-
ctiōibus, & harum ab ipso dependentiam,
non potest illatenus ligari, nisi volens.
Tunc autem potius ligatur à se ipso; ratio-
ne scilicet immutabilis veracitatis, non ratio-
ne stricti contra se juris in creatura existi-
stentis. Ut proinde Varii negent Deum
fieri nobis debitorem. Quamquam id per-
tineat ad quaestionem de nomine, in qua
rectissime loquimur cum S. Aug. Serm. 16.
de Verbis Apostoli: Debitor nobis factus est Deus,
non aliquid accipiēdo, sed quod ei placuit promit-
tendo.

Dico VIII. Christus ex rigore iustitiæ
non satisfacit pro peccatis nostris, seu non
solvit ex rigore iustitiæ debitum nostro-
rum peccatorum. Ita Doctores passim; etsi
plures contradicant. Creditor namque ten-
netur rigorosâ satisfactione esse contentus
eo ipso, etiam sine pacto prævio; quod in
Deo non habet locum, qui non tenebatur
satisfactionem Christi acceptare. Deinde
debitum peccatorum est personale, adeo-
que in rigore debuisset satisfacere ipse reus
qui peccavit: ergo gratia fuit, quod admit-
ta sit alterius satisfactio. Tertio potuisset
satisfactio Christi à Deo acceptari alio titu-
lo v.g. domini universalis; ergo gratia est,
quod non sic acceptaverit, sed permiserit
computari in solutionem debiti personali
alieni. Quamvis autem hanc voluntate
suppositâ, non potuerit Deus non accepta-
re in solutionem, non sequitur abfuisse
gratiam: cum satisfactio ipsa debeat
fieri de talibus, quæ debeant in solutionem
admitti. Alioquin suppositâ etiam volun-
tate gratuito condonandi peccata, non po-
test ex iustitia Deus quid aliud exigere; &
tamen ista extinctio debiti ab omnibus
censetur gratiosa. Considerando equidem
dignitatem pretii redemptionis nostræ se-
cundum se, & aliunde debitum peccati,
pretium longè excedit debitum; ut Patres
exaggerant, signanter Chrysostomus Homil. 10.
in Epist. ad Rom. ubi id declarat exemplo
ejus, qui pro vineto ob debitum decem ta-
lentorum offerret innumera auri talenta. Et
Basilii in illud Psal. 48. Ergo non redimimur,
redimet homo, dicens: Inventum unum est pro om-
nibus hominibus dignum pretium, nempe san-
guis & omni pretio superior sanguis Domini nostri.
Unde Psal. 129. dicitur: Copiosa apud eum re-
demptio. Et 1. ad Cor. 6. Empti estis pretio magno.
Et Clemens VI. Extrav. Unigenitus, De pœnitentia
& remiss. dicit, quod gutta sanguinis mo-
dica propter unionem ad Verbum pro redemptione
totius generis humani suffecisset. Verum hæc
superabundantia pretii non excludit gratiam,
quæ aliunde in satisfactione Christi
intervenit, eamque facit non esse, ex toto
rigore iustitiæ, ut ostensum est.

Ex his rursum oritur alia quaestio, an
opera seu merita Christi fuerint infiniti

valoris? in qua est duplex Sententia. Pri-
ma D. Thomæ & plerorumque aliorum do-
centium fuisse secundum se & simpliciter
infiniti valoris, idque ob ipsam infinitam
personæ seu suppositi dignitatem. Et huius
Sententiæ non parum favent præmissæ &
nonnullæ aliæ Auctoritates. Secunda Sen-
tentia est Scoti dist. 19 n. 7. & in Report. ibid. nu.
7. Gabrielis, Almaini, Joannis Medina, & Scoti-
starum communiter id negantium. Quam
Scotus sup. in Reportatis explicans ait: Meritum
Christi fuit quasi infinitum, non tamen formaliter
infinitum, sed ut infinite acceptatum, quia pro in-
finitis; quod non fuisset, si fuisset purus homo: quia
infinitum acceptavit propter infinitatem personæ
merentis. Acceptatum, inquit, pro infinitis
scilicet quoad sufficientiam; pro solis ta-
men electis quantum ad efficaciam respec-
tu gloriæ. Ratio est: nam opera Christi
proprie erant ipsius humanitatis, denomi-
nativè autem ipsius personæ: at humani-
tas ceteraque principia operum Christi e-
rant finita, adeoque & ipsa opera. Neque
apparet, quod cum personalitas non red-
dat ipsam humanitatem Christi in se infi-
nitam, faceret infinitas in se actiones huma-
nitatis. Neque dignitas personæ commu-
nicat se totam effectui, ad quem extrinsecè
se habet: quemadmodum dignitas objecti,
etsi conferat ad augendam dignitatem actus,
non tamen dat actu tantam dignitatem,
ut si objectum sit infinitum, etiam actus
sit infinite dignus. Qui autem hanc opi-
nionem sequi maluerit, dicere poterit, non
amplius, quam præmissum est, requiri ad
verificandas Auctoritates quæ sonant me-
ritum Christi pro mille aliis mundis suffe-
cisse; item Christum comparasse nobis in-
finitum thesaurum, de cujus consumptione
seu minutione non est aliquatenus for-
midandum propter infinita Christi meri-
ta, ut ait Clemens VI. Extrav. Unigenitus, De
Pœnit. & remiss. nam hæc omnia satis veri-
ficantur per infinitatem secundum quid &
extrinsecam ex acceptatione Dei.

S. VI

De Universalitate meritorum Pas-
sionis Christi, An scilicet Christus
pro omnibus hominibus & singu-
lis Sanguinem suum fuderit?

Præterea suscipiendus est difficultas
hæc temporibus specialiter agitata, de
generalitate meritorum mortis & passionis
Christi, an scilicet sint à Christo oblata &
Patre acceptata pro redemptione & sa-
lute omnium hominum, an vero solum
electorum. Posterius enim effutire non
sunt verbi Calvinus, Beza & alii recentiores
hæretici. Ad quorum dogma incaute ac-
cessit

Christi sint
infiniti va-
loris in se
& simpliciter,
an verò
extrinsecè
& secun-
dum quid.

63.

Hæretici
recentiores
negant

61. Neque etiam de rigore iustitiæ pro peccatis nostris satisfecit

Ratio.

Quo sensu Christi satisfactio sit ex iustitia, immo superabundans.

62. Christi meritis de opere iustitiæ & commutativa.

idē meritum acceptatum est Patre

64. An meritum

Christum esse mortuum pro salute reproborum.

cessit Jansenius l. 3. De grat. Christi Salvat. c. 21. ubi inter alia censet inhærendo principiis Augustini, quod Christus pro infidelium in infidelitate morientium, vel pro iustorum non perseverantium aeternâ salute mortuus non sit, nec sanguinem fuderit, nec semetipsum redemptionem dederit, nec Patrem oraverit; immo non magis pro aeterna liberatione ipsorum quàm pro diaboli deprecatus fuerit. Nec tamen hi dubitant, quin mors Christi in se fuerit sufficientissima pro redemptione omnium omnium hominum, immo dæmonum; sed negant illam fuisse pro omnibus ex parte Christi oblatam, at pro salute dumtaxat electorum: quod tamen requireretur ad hoc ut Christus dici posset mortuus pro salute reproborum, ne alioquin etiam pro diabolo mortuus dici queat. Quod ipse Jansenius supra rectè observavit, dicens, quod ipsa phrasis, quâ quis dicitur se pro aliquo redemptionem dare, præ se ferre videatur redemptionem ex redimentis animo in usum ac liberationem captivorum offerri ac dirigi. Quod rectè declarat Smising tract. 3. De Deo uno disp. 6. n. 175. & plane ex communi loquendi modo satis constat.

66. Itaque indubitata omnium Catholicorum doctrina habet, Christum pro omnium & singulorum salute sanguinem fuisse & mortuum esse. Ita declaravit Innocentius X. in Bulla contra quinque propositiones Jansenii; de quarum quintâ sic censet: Quintam, Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse aut sanguinem fuisse; falsam, temerariam & scandalosam: & intellectam eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat prædestinatorum mortuus sit, impiam, blasphemam, contumeliosam, divinæ pietati derogantem, & hereticam declaramus, & uti talem damnamus. Idem antea manifestè tradiderat Tridentinum sess. 6. cap. 3. dicens: Verum etsi ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, sed si dumtaxat, quibus meritum passionis ejus communicatur. Non pro solis igitur electis (quibus omnibus utique meritum passionis Christi communicatur cum effectu) sed etiam pro reprobis Christus mortuus est. Neque etiam pro iustantibus reprobis, qui ad tempus justificantur, adeoque beneficium mortis Christi, scilicet justificationem, de qua ibi sermo, recipiunt; sed pro omnibus omnino. Nam ly omnes capitur distributivè pro singulis generum in priori loco; uti constat pro singulis generum sumi in posteriori loco, dum dicitur, non omnes tamen &c.

Post Tridentinum.

67. Eadem doctrina manifestè traditur in Scriptura, uti ad litteram sonat, & à Patribus orthodoxis constanter fuit intellecta. Ad Hebr. 2. *Ut gratia Dei pro omnibus gustata sit mortem.* 1. ad Timot. 2. *Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* 2. ad Corint. 5. *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt: & pro omnibus mortuus est Christus.* Ubi Apo-

Idem quoque tradit Scriptura,

stolus mortem spirituales omnium & singulorum inferit ex morte Christi pro iisdem. Et ad Rom. 8. *Proprio Filio non peperit, sed pro omnibus tradidit illum.* 1. Joan. 2. *omnes & singuli peccatores excitantur ad fiduciam ex universali propitiatione seu redemptione his verbis: Sed etsi quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.* Huc etiam facit illud 1. ad Cor. 8. *Peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est.* Supponit igitur Apostolus contingere, ut pereat, adeoque reprobus sit, propter quem Christus mortuus est. Idem supponitur 2. Petri 2. *Eum, qui emit eos (pretio scilicet sanguinis sui) Dominum negant, superducentes sibi celerem perditionem.*

His Scripturis consonant unanimiter Patres. Nazianzenus Orat. ad Arianos ait: *Quarum (Christi passionum) opera omnes citra ullam exceptionem instaurati sumus, qui eisdem Adam participes fuimus versusque & captivos serpentis oratione circumventi &c.* Ambrosius Serm. 8. in Psal. 118. *Mysticus sol justitiae omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus est, & omnibus resurrexit.* Ideo autem passus est, ut tolleretur peccatum mundi. *Si quis autem non credit in Christum, generali beneficio ipse se fraudat: ut si quis clausis fenestris radios solis excludat; non ideo sol non est ortus omnibus, quia calore ejus se ipse fraudavit: sed quod solis est, prerogativam suam servat; quod imprudens est communis à se gratiam lucis exclydit.* Hieron. Epist. 83. ad Oceanum, initio; *Mortuus, inquit, Joannes Baptistam, & dixit Christum & voce demonstrans, Ecce Agnus Dei, ecce qui tollis peccata mundi: si sunt adhuc in seculo, quorum Christus peccata non tulerit.* Leo Papa Serm. 1. De Nativitate Domini; *Dominus noster peccati mortisque destructor, sicut nullum à reatu liberum reperit, ita pro liberandis omnibus venit.*

Ad Augustinum quod attinet, is quidem omnium clarissimè (quidquid Adversarii reclamant) doctrinam Catholicam tradit: quæ adeo ut inter ineptissimarum quarundam blasphemiarum prodigijsa mendacia, interque impias profanasque opiniones doctrinæ Augustinianæ falsò ab eisdem adversariis adscriptas, quæ diabolico contrahuntur indiculo (ut loquitur Prosper in Præfat. respons. ad objectiones Vincent.) primo loco statatur hæc: *Quod Dominus noster Jesus Christus non pro omnium hominum salute & redemptione sit passus.* Eandem calumniam ab Augustino repellit Prosper ipse Resp. 9. ad Cap. Gallorum. *Contradictoria proinde propositio est Augustini; scilicet, quod Christus pro omnium hominum salute & redemptione sit passus.*

Hanc per rō tradit Enarrat. in Psal. 95. sub finem, ubi ait: *Judicabit orbem terrarum in æquitate: non partem, quia non partem emit: totum vult (utique omnes & singulos) judicare habet, quia pro toto preteritum dedit.* Et l. 2. De Symbolo ad Catech. c. 8. inducit Judicem ad impios dicentem

centum inter cetera : Ecce Deum & hominem, in quem credere nolueris. Videris vulnera quae inflixeris, agnosceris latus quod pupugisti: quoniam & per vos & propter vos apertum est; nec tamen intrare voluisti. Et serm. 67. De tempore recensitis pluribus Christi beneficiis, addit loquens in eiusdem Iudicis personam peccatoribus: Cruci affixus, vulnere perfossus, ut tu eripereris morti, animam in tormentis dimisi..... suscepi dolores tuos, ut tibi gloriam darem; suscepi mortem tuam, ut in aeternum viveres: conditus facui in sepulchro, ut tu regnares in caelo. Cur quod pro te perituli perdidisti? Cur ingrati redemptionis tuae munera tenuisti? &c. Cum essem imperitibilis pro te pati dignatus sum: sed tu despectisti in homine Deum, in infirmo salutem &c. Et serm. 114. de temp. ait: Hodie Dominus noster in statera crucis pretium nostrae salutis appendit, & una morte universum mundum, sicut omnium conditor, ita omnium reparator absolvit. Indubitante enim credamus, quod totum mundum redemit, qui plus dedit quam totus mundus valeret.

Idem Augustinus contra Pelagianos variis locis urget ex Apostolo 2. ad Corinth. 5. omnes esse mortuos spirititaliter ex morte Christi pro omnibus; ut 20. de Civ. c. 6. dicens: Omnes itaque mortui sunt in peccatis nemine prorsus excepto, scilicet in originalibus, scilicet etiam voluntate additis. &c. Et pro omnibus mortuis, unus mortuus est unus; & 1. 6. contra Jul. c. 9. Apostolus dixit, unum fuisse in quo omnes peccaverunt. In illo uno mortui sunt omnes, ut more redderet unus pro omnibus. Unus enim pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, pro quibus Christus mortuus est. Nega igitur Christum etiam pro parvulis mortuum, ut eximas eos de numero mortuorum.

71. Praedictis accedit multiplex ratio Theologica. Nam in primis non solum electi, sed & reprobi debent credere & recitare Symbolum fidei; quod, ut in Synodo Nicaena editum est, ita sonat: Credimus in unum Dominum Jesum Christum... qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit, & incarnatus est & homo factus, passus est &c. Quod sane quilibet per fidem applicat sibi ipsi in particulari, & non solum in generali hoc vel simili modo: Qui propter nos electos descendit &c. Quin potius quilibet in particulari sibi met applicat, & cordi suo intimius insculpit, velut cuilibet dictum, quod habet Apostolus ad Gal. 2. Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. Quare etiam singulos compellat Aug. serm. 123. De temp. ait: Illud te multo magis stupere oportet, quod pro te mortuus est & sepultus: quia ad hoc descendit, ut ea quae humana displicent infirmitati; pro sua salute sufferret, & te ad aeternam & ad caelestem gloriam secum perduceret. Similiter Bernardus serm. 2. in Psal. Qui habitat, ait: Possunt omnia dicere, Creator meus es tu. Possunt & animalia dicere, Pastor meus es tu. Possunt omnes homines dicere, Redemptor meus es tu.

Deinde in pretioso sanguine, qui effu-

sus est propter nos singulos, fundatur sive roboratur totius fiduciae nostrae & spei theologiae certitudo; dum merito confidimus, quod non perdet nos nec despiciet, Deus, propter quos Filium suum misit crucifigi; ut ponderet Augustinus variis locis apud Dechamps. l. 3. contra Jansenium disp. 7. cap. 8.

Inde praeterea plurimum accenditur Teria. charitas nostra, dum ut ruminat quilibet bonus Christianus, & jugiter in concionibus inculcatur, ante oculos mentis proponitur Salvator velut pro quolibet crucifixus, & sibi quisque proponit illud Augustini Tractat. 2. in epist. 7. Joan. post med. Voluit te amor mundi, tene Christum. Propter te factus est temporalis, ut tu fias aeternus.

Hinc insuper elocet, quem tanti facit Augustinus cum aliis Patribus, valor cujuslibet animae Christianae, veluti tam pretioso sanguine redemptae: ut proinde idem Augustinus in Psal. 102. ante med. quamlibet compellans inter cetera dicat. O anima erige te, tenti vales. Et serm. 120. de temp. Agnoscat (inquit) homo, quantum valeat & quantum debeat, & dum pretium suum cogitat, vilis sibi esse desinat..... Reus itaque erit non parvi pretii, sed sanguinis Christi, qui violat, & commaculat animam Christi sanguine & passione mundatam.

73. Probatur ulterius: quia Christus pro Quina. omnibus iis sanguinem fudit, quorum salutem sciebat in cruce clamans, Sitio. Sitebat autem salutem omnium, etiam reproborum; & universos invitabat dicens, Sitio, ut ait: B. Laur. Justinianus De triumph. Christi agone cap. 19. Qui etiam serm. De Pass. Dom. ait: Sitio utique pereunium salutem animarum. Nec est aliquid aliud vulgatum adeo omnibus Concionatoribus Catholicis, immo & ipsi Augustino variis locis apud Dechamps sup. cap. 10. Ob quod idem Aug. in Psal. 61. ante med. dicit: Multos bibit, scilicet electos, sed numquam erit sitiis, quia scilicet non possidebit reprobos quos sitebat. De cuiusmodi praemiserat: Illi interfuebant, illi repellebant, ego eos sitebam &c. De quibus item subdidit, quod non hoc dederint quod sitebat. Ipsos enim ille sitebat; at illi acetum dederunt &c.

Denique probatur: quia Christus pro 74. omnibus est mortuus, pro quibus in cruce Sexta deni- orabat, dicens: Pater ignosce illis &c. Oravit quo ratio Theologica. autem ibi pro suis inimicis & crucifixoribus, etiam reprobis. Unde Leo Papa serm. 1. De pass. compellans Principes Sacerdotum ait: Tanta est bonitas nostri Redemptoris, ut etiam vos peccatis consequi veniam; si Christum Dei Filium confitendo, illam parricidalem malitiam relinquatis. Non enim Dominus in cruce frustra oravit, dicens: Pater dimitte illis &c. Quod remedium nec te Juda transiret si ad eam penitentiam confisisses, quae te revocaret ad Christum, non quae instigaret ad laqueum. Vide eundem serm. 4. De pass. & Aug. variis locis apud Dechamps sup. c. 11.

Dices

71. Accedit multiplex ratio Theologica.

69. Iamque...

70. Ad...

72. Deinde...

75.
Sanguis
Christi quo
sensu dica-
tur effusus
pro multis.

Dices I. Christus *Matth. 26.* De sanguine suo dixit: *Qui pro vobis & pro multis effundetur.* Resp. effundetur pro multis efficaciter, sed pro omnibus quantum ad sufficientiam. Vel potius pro multis ibi idem est, quod pro omnibus, seu pro tota multitudine, idque phrasi Scripturæ usitatâ.

Dices II. Christus *Joan. 10.* dicit se animam suam ponere pro ovibus suis, id est prædestinatis. Et *ad Ephes. 5.* Christus dicitur se tradidisse pro Ecclesia. Resp. ibi non excludi ceteros, alibi in Scriptura comprehenduntur; quos omnes Christus desiderat fieri oves gregis sui & membra Ecclesiæ. Deinde multi sunt reprobi in Ecclesia, pro qua Christus semetipsum tradidit. Denique pro ovibus electis mortuus est specialius, scilicet cum effectu salutis.

76.
Explicatur
dictum
Christi: non
pro mundo
rogo &c.

Dices III. *Joan. 17.* Christus ait: *Non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi.* Ubi videntur excludi reprobi. Resp. Christum ibi orare expressè pro solis discipulis seu Apostolis: etsi orationem postea extendat ad credituros per verbum eorum. Quamvis autem ibi tantum orasset pro his, alibi tamen oravit etiam pro ceteris. Oratio namque non semper pro omnibus, ut mors suscipi debuit. Deinde intelligi potest, quòd Christus oraverit efficaciter pro solis electis, etsi etiam pro reprobis precatus fuerit quoad sufficientiam.

77.
Generales
locutiones
Scripturæ
de morte
Christi quo
sensu applicentur ab
Augustino
prædestina-
ti.

Dices IV. *August. 22. De civit. cap. 24.* illud Apostoli *ad Rom. 8.* *Pro nobis omnibus tradidit illum,* intelligit de prædestinatis. Et *epist. 48. post med. ait: Christus propitiator est peccatorum nostrorum, non tantum nostrorum sed totius mundi, propter triticum, quod est per totum mundum.* Et *epist. 102. ait: Non perit unus ex illis, pro quibus mortuus est Christus.* Resp. *Augustinum* non velle, quòd Apostolus Paulus vel Joannes excludat reprobos à redemptione facta per Christum, quos Scriptura, ipsæque *Augustinus* tam patenter comprehendit, adeoque non negat redemptionem horum quoad sufficientiam; sed singulariter commendat specialem, tum Dei voluntatem circa electos, tum redemptionem Christi circa eosdem, scilicet cum effectu salutis. Propter quod *Prosper. Resp. ad 1. objct. Vincent.* benè dixit: *Cum rectè omnes dicantur redempti (activè scilicet, quantum est ex parte Christi) & tamen non omnes à captivitate sint erui (passivè scilicet, defectu hominum) redemptionis proprietates haud dubiè pones illos est, de quibus Princeps mundi missus est foras. Pencilum quippè immortalitatis, quod consecutum est de infirmitate nostra & virtute divina, habet quidem in se ut omnibus profit; sed si non bibitur, non medetur. Idem sent. 9. super 9. cap. Gallorum ait: Cum Sanguis Domini nostri Jesu Christi pretium totius mundi sit (intellige verè, adeoque ex parte Christi illum offerentis) quo pretio extranei sunt, qui aut delectati captivitate redimi noluerunt, aut post redemptionem ad eandem sunt*

Panes quos
juxta S.
Prosperum
est redemp-
tionis pro-
prietates.

servitutem reversi. Vide eundem *Resp. ad 9. cap. Gallorum.*

Similiter quod ex *Epist. 102.* allegatur, intelligi debet de morte quòdam specialem efficaciam; vel certè de adultis hoc sensu, quod nemo ex iis pereat sine sua culpa ob incapacitatem seu impotentiam. Alioquin quòd pereat aliquando pro quo Christus mortuus est, patet non solum ex Apostolo *1. ad Cor. 8.* sed etiam ex variis testimoniis *Augustini* præallegatis, & aliis quæ allegat *Dechamps l. 3. d. 7. cap. 4.* Certè perit *Arius* Hæresiarcha; quem tamen in persona Christi alloquens *Orat. De quinque hæresibus cap. 6.* ait: *Sanguinem meum sudi, animam meam posui, ut mihi conjungerem te & tu divideris me?*

Neque id derogat omnipotentia Dei, aut virtuti orationis Christi, qui *Joan. 11.* ait: *Ego sciebam, quia semper me audis.* Nam voluntas Dei circa salutem reproborum tantum est antecedens, eique se subdit voluntas Christi, efficaciter quantum est de se supplicantis & redimentis, unde etiam in reprobos profluunt sufficientia salutis media, sic ut pœnes illos sit, redimi cum effectu. Unde *Augustinus lib. 2. De Symbolo cap. 8.* ait: *Resister unusquisque cum vivit, ut vivat, ut eius pretioso sanguine redimatur; ne cum non fuerit, impendat in numero redemptorum, in numero maneat perditorum.* Et *Serm. 31.* inter novos editos à Sixmundo (quem citat *Beda in cap. 5. Epist. 2. ad Cor.* teste *Dechamps lib. 3. contra Jansen. d. 7. c. 5. n. 4.*) inter alia ait: *Redemit te à secunda morte sanguis Domini tui. Si vis, datus est pro te. Si nolueris, non est datus pro te &c. Sanguis Christi volenti est salus, nolenti supplicium.*

QUESTIO V.

De conditione appetitus sensitivi, & Corporis Christi.

QUEMADMODUM Christus, quia verus homo, habuit intellectum & voluntatem humanam, earumque proprias operationes: sic quoque præditus fuit phantasia & appetitu sensitivo, eorumque operationibus. Et quidem phantasia Christi habuit suas operationes ex sensibus oriundas, atque inde potuit intellectus habere consequentes actus; etsi alioquin etiam sine ministerio sensuum posset intellectua-liter operari. Quare sicut Beatorum, sic & Christi phantasia cognovit phantasticè suo modo Deum, & appetitus sensitivus appetiit; indeque gaudium sensitivum habuit: prout etiam nunc intellectu nostro versante circa Deum, phantasia format suas imagines, & voluntate amante etiam appetitus sensitivus versatur circa objectum phantasticum, sicque cor & caro exultant in Deum vivum.

Finis

Qu. V. De conditione appetitus sensitivi & Corporis Christi. 47

81. Similitudo appetitus sensitivi operationes & passiones innoxias habuit. Signanter dolorem sensibilem.

Fuit porro in appetitu sensitivo Christi varietas omnium actuum & passionum innoxiarum: fuit enim Christus juxta Apostolum ad Hebr. 2. & 4. per omnia assimilatus fratribus, absque tamen peccato aut indecentia; qualem important fomes peccati, difficultas boni operis, ignorantia &c.

De vero & sensibili dolore est de fide ex Isaie 53. Verè dolores nostros ipse portavit. Et ex Conciliis ac Patribus tradentibus veram corporis Christi passibilitatem ac passionem, quæ non est sine vero dolore. Pœnalitas insuper hujus passionis nullam involvebat culpam, maximeque deserviebat ad satisfaciendum pro peccatis nostris.

82. Quam juxta varios in Christo non admittit S. Hilarius. Qui tamen benignè explicatur.

Oppositum quidem videtur sensibile Hilarius l. 10. de Trin. & alibi; ut Vasquez d. 59. cap. 1. admittit cum multis, quos citat. Nihilominus D. Bonav. d. 16. in Expos. textus dub. 1. & a. l. 9. r. ad 1. D. Thomas & alii passim Hilarium excusant, & ex variis ipsius locis seu verbis benignè interpretantur, quod scilicet voluerit in Christo non fuisse causam doloris seu dolorem provenientem ex peccato: vel contra Arium quod totus Christus secundum se non sit passus, seu quod Verbum ex dolore corporis dolorem non senserit; uti sentit anima: vel quod non voluerit negare sensum & experimentum passionis, sed vim & dominium, quia videlicet voluntas etiam creata Christi passionibus non succubuit, nec dolores ex impotentia aut naturali & inevitabili necessitate pertulit, neque instar nostrum ex passionum necessitate aut vehementia fuit perturbatus, sed levatâ superioris portionis plenariâ tranquillitate vim pœnarum in se deservientium sine ordinario pœnarum sensu seu effectu, qui in aliis cernitur, & sine ullo dignitatis dispendio voluntariè admittit. Maxime autem Hilarius sic est excusandus; cum de illo Hieronymus ad Letam scribat: Libros Hilarii inoffenso decurrat pede. Sunt etiam, qui dicunt Hilarium dicta sua retractasse. Vnde (inquit D. Bonav. sup. ad 1.) audivi Parisiensem Episcopum Guilielmum referre se librum illius retractationis vidisse & perlegisse.

83. Fuit in Christo sensibile amor & delectatio. Item timor.

De amore, desiderio, delectatione sensibili circa objecta sensibilia v. g. præsentiam suæ matris, dilecti discipuli Joannis &c. patet: quia illa naturaliter consequuntur appetitum sensitivum, nec aliquid in Christo obsistebat.

De timore sensibili patet: quia sensibilibus refugit mala absentia & imminentia, v. g. mortem &c. quantumvis certo futura: incertitudo enim etiam nobis frequenter occurrit, non est tamen necessaria.

Admiratio quodammodo non.

Admiratio illa quæ oritur ex eo, quod viso effectu non sciatur causa, cujus proinde sciendæ desiderium excitatur, non fuit in Christo; ut patet. Fuit nihilominus in ipso sensibilis admiratio orta ex apprehensione rei magnæ & experientia in-

solitæ; quæ si bona sit, generat affectum & complacentiam laudis; si inconveniens, displicentiam & desiderium vituperandi, seu genus quoddam timoris, quod à quibusdam vocatur stupor. Hoc modo Jesus miratus est fidem Centurionis Matth. 8. Et propter incredulitatem Judæorum Marci 6.

De sensibili ira patet ex Marci 3. Circumspiciens eos cum ira. Et alibi. Ratio est: quia Christus potuit juxta rectam rationem appetere vindictam injuriæ Patri aut sibi illatæ; hoc autem est irasci.

Sensibilis in eo ira ostenditur.

Quamvis autem præfatæ passiones sensibiles verè in Christo fuerint, Nonnulli tamen malunt eas vocare propassiones; eod quod nec rationem prævenirent, nec ad malum inclinarent.

Passiones in Christo cur propassiones à Nonnullis vocentur.

Unde sciendum I. est appetitum sensitivum in Christo numquam prævenisse rationem, uti solet in nobis; ut velut certum tradunt omnes Theologi cum Patribus, signanter Leone Papa Episcopi. 11. dicente: Nihil carnis suæ habebat adversum, nec discordia prævenire desideriorum gignebat compugnantiam voluntatum. Sensus corporei vigeant sine lege peccati, & veritas affectionum sub moderamine Deitatis & mentis. Ratio est: quod hoc sit defectus naturæ humanæ ortus ex peccato originali (quo Christus vi suæ conceptionis caruit) & perfectionem Christi dedecens. Deinde hunc defectum excludebat perfecta omnium rerum Christo occurrentium & circumstantiarum consideratio. Et quidem frequentius actu positivo voluntatis excitavit in se actus appetitus sensitivi, juxta illud Joan. 11. Turbavit seipsum &c. Non constat tamen, an aliquando simpliciter tantum præviderit, ac permiserit.

84. Appetitus sensitivus qualiter in Christo numquam præveniret rationem.

Sciendum II. In appetitu sensitivo Christi non fuisse fomitem peccati, uti certum est apud omnes: quia fomes est ex peccato, & ad peccatum inclinatur: nihilque est aliud in actu primo, quam appetitus sensitivus, ut jam rationis imperio solutus est, & proxime dispositus ad motum inordinatum seu contra rationem: in actu secundo est ipse motus per se inordinatus, alliciens voluntatem ad aliquid contra rationem. Sed nihil horum fuit in Christo: tum quia erat beatus: tum quia vi conceptionis carebat originali peccato, quod est radix fomitis; tum quia dedecerebat dignitatem Christi, nec conveniebat ad finem redemptionis.

85. Nec fuit in eo fomes peccati.

Nec obstat, quod appetitus sensitivus Christi naturaliter refugerit mortem, quæ tamen erat Christo præcepta: nam fugere mortem est per se bonum; adeoque appetitus in fugam mortis inclinans non est fomes peccati. Deinde ipsa sensibilis fuga mortis non erat Christo prohibita, sed Deo placens & utilis ad ostendendam veritatem naturæ passibilis, dummodo non

Quem non arguit naturalis fuga mortis, quæ fuit in Christo.

eò usque pertingeret (prout in Christo non pervenit) ut voluntatem ad oppositum divino præcepto efficaciter volendum inclinaret.

86. Fuit autem fomes peccati in Christo sublatus, seu potius impeditus per specialem Dei providentiam, quæ vel objecta illicita removebat, vel appetitui ne inordinatè excitaretur concursus denegabat. Ad quod etiam plurimum conducebant virtutes morales Christo infusæ, & actualis consideratio objectorum illicitorum cum subsequenti voluntatis imperio, quo motionem appetitûs sensitivi in talia objecta impediēbat. An autem de absoluta potentia fomes peccati inesse Christo potuisset, controversum est. Et videtur quod sic, etiam posito quòd implicet absolute peccatum inesse: quia fomes potuisset relinquere ad certamen, & omne etiam veniale peccatum impediri. Ita plures, etiam Recentiores.

87. Quod ad conditionem Corporis Christi atinet, illud in primis fuit omnino integram & perfectum, bene dispositum, optimi temperamenti, & perfectæ pulchritudinis, qualem in humano ac viri corpore esse oportet. Quod addo: nam pulchritudo muliebris non decuisset Christum jam virum, & præsertim Evangelii ac poenitentiae præconem. Immo si fortè corpus delicatè enutritum pulchritudinem minùs decentem diffudisset, per labores tamen & afflictiones Christus redegit eam ad statum viro convenientem. Est communis, nisi quòd unicus *Medina* (ut refertur) ausus sit contradicere corporis pulchritudini: cujus tamen testes sunt *Augustinus* & alii Patres, qui eò applicant illud *Psalmi 44. Speciosus formâ præ filiis hominum.* Et *Hieronymus in Epistola seu Explanacione Psalmi 44. ad Principiam Virginem. Univerſis* (inquit) *pulchrior est Virgo de Virgine, qui non ex voluntate viri, sed ex Deo natus est &c.* Ratio Conclusionis est, quòd talis perfectio decebat Spiritum sanctum qui corpus formavit, Verbum quod illud inhabitavit, perfectissimam animam quæ informavit; oppositis defectibus v. g. gibbositate &c. ad finem redemptionis minimè conducentibus.

88. Secundò Corpus Christi ante resurrectionem secundum fidem fuit verè passibile & mortale: Christus enim elurivit, sitiivit, vulneratus est & mortuus secundum Scripturam & Concilia, idemque conveniebat ad finem redemptionis. Erat etiam corpus ipsius causis applicatis passibile naturaliter, uti nostrum: quamquam nonnulli passiones Christi vocent voluntarias, eò quòd eas voluntariè assumpsit, aut in illis sibi complacuerit, potens impedire causas naturales. Habuit etiam ante resurrectionem gravitatem & crassitiam ut certum est: tum quia assumpsit omnia

quæ in natura plantavit: tum quia sine gravitate non fit fatigatio; cum tamen juxta Scripturam fatigatus fuerit Jesus. Unde quod ambulaverit supra mare, est miraculo tribuendum.

An autem Christus secundum corpus aliquos morbos assumpsit, disputatur. Communis tamen opinio est negativa, quam tradit *D. Thomas q. 14. a. 4.* & *D. Bonav. d. 15. art. 1. qn. 2. in corp.* Neque Scriptura aut Patres, dum Christi pœnas recentent, ullius ægritudinis seu morbi meminerunt. Ratio est: quia morbi oriuntur, vel ex inordinato victu, vel ex imperfecta corporis formatione; quæ procul erant à Christo: vel ex causa externa, puta ex inclementia aëris; cui quoque potens erat resistere per corpus adeò bene complexionatum: & dato casu, quo potentior fuisset vis externa morbi causativa, poterat illam prudenter declinare.

Nec obstat, quòd Christus, nisi violenta morte præventus, senio naturaliter obiisset. Nam id fieri potuisset sine morbo propriè dicto, sive distincto à defectu caloris naturalis & humidi radicalis, in corpore saltem tam puro tamque convenienter naturæ gubernato; vel certè, gratis admittà multorum medicorum sententiâ, quòd mors naturaliter non accidat sine aliqua febris aut putrefactione atque etiam intellectâ de corpore tam singulari, dici posset tali casu (qui non fuit) Christum in summo senio levi morbo corripiendum fuisse.

Non obstat etiam, quòd ex nimio æstu aut frigore fuerit interdum in Christo aliqua qualitas tam intemperies, aut ex vehementia tormentorum in corpore Patientis quædam alteratio. Nam ea solùm intemperies vocatur morbus, quæ ex humore imperfecto vel putredine aut alia ratione velut habitualiter radicatur.

Itaque Christus non assumpsit omnes defectus, etiam non peccaminosos, neque gratiæ aut scientiæ Christi, aut fini incarnationis repugnantes, sed Communes solum, quos *D. Bonav. sup.* vocat naturales, quia respiciunt totam naturam humanam universaliiter, sicut fames, sitis & similes; uti venerat naturam humanam redimere communiter sine personarum distinctione. Secus est de defectibus personalibus, qui ex specialibus causis procedentes respiciunt personas speciales; sicut diversæ ægritudinum species, uti dictum est.

Insuper contra quosdam antiquiores Hæreticos fide certissimum est Christum post resurrectionem retinuisse corpus verum & sepultus, idem & resurrexit & ascendit super omnes cælos, indeque venturus est judicare, secundum Scripturas & Symbola Ecclesiæ. Quare etiam post resurrectionem monstravit se esse præditum corpore vero

86.
Per quid fuerit fomes præpeditus.

An fomes de absoluta potentia inesse potuisset.

87.
Christus habuit corpus optimè temperatum ac perfectæ pulchritudinis.

88.
Ante resurrectionem verè passibile ac mortale.

Præditum gravitate.

Qu. V. De conditione appetitus sensitivi & Corporis Christi. 49

& palpabili, sequē eum. esse dixit Luca 24. Videte manus meas & pedes, quia ego ipse sum: palpate & videte: quia spiritus carnis & ossa non habet, sicut nec videtis habere. Hinc merito Damascus Papa cum Concilio Romano in Professione fidei: Si quis non dixerit, quod in carne, quam assumpsit, sedet ad dexteram Patris &c. anathema sit.

Nec obstat illud 2. ad Cor. 5. & si cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc iam non novimus. Nam id explicat Adrianus Papa in Epist. ad Episc. Hispania, quae refertur inter acta Concilii Francofordiensis: Etsi novimus eum mortalem, passibilem, vulnere deditum, sed iam in gloria Patris scimus eum ab omni humana conditionis debito alienum. Alii putant Paulum loqui de se adhuc incredulo, q. d. etsi aliquando more Judaeorum de Christo seu Messia carnaliter iudicaverimus, v. g. quod esset futurus rex temporalis; iam tamen non ita novimus vel existimamus. Alii denique explicant Paulum de notitia seu aestimatione carnalis generationis Christi, quae erat Judaeis, adeoque contribulis Pauli & Judaeorum, q. d. iam illis terrenis affectibus mortui sumus, & Christum tantum novimus ut hominem divinum, Auctorem gratiae &c.

Denique Corpus Christi etiam nunc est loco circumscriptum; ut in variis Conciliis est definitum contra Ubiquistas existimantes illud esse ubicumque est Deitas, etsi in caelo tantum appareat visibile: Ad idem probandum variae adducuntur Scripturae in VII. Synodo Act. 6. Patet factus Joan. 16. Relinquo mundum, & vado ad Patrem. Marci 16. Surrexit, non est hic. Plurimae Patrum Auctoritates videri possunt apud alios. Nec mirum videri debet, quod Verbum alicubi sit, ubi non est humanitas: Verbo unita; cum de facto anima sit in pede, ubi tamen non est caput animae unitum: Denique ex nullo capite ubiquitas ista naturali corporis conditioni repugnans probari potest; adeoque non est asserenda.

QUESTIO VI.

An Christus sit Sacerdos & Rex?

Dico I. Christus est verus & proprie dictus sacerdos. Est de fide ex Scriptura Psal. 109. Tu es sacerdos in aeternum secundum Ordinem Melchisedech. Idem declarat Apostolus ad Hebr. 6. 5. & seqq. Patet etiam ex Concilio Ephesino can. 10. Trid. sess. 22. c. 1. & 2.

Denique idem probatur ex definitione Sacerdotis tradita ab Apostolo supra: Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis. Quae definitio optime convenit Christo, qui verum & proprie dictum sacrificium pro peccatis no-

Heriæx Sum. Theol. Pars IV.

stris non solum in ultima caena, sed etiam in ara crucis obtulit juxta Trid. sup. cap. 1.

Ex quo tamen non sequitur alios Martyres similiter esse sacerdotes: quia mors non est in ipsorum, uti Christi, potestate, qui poterat impiorum manus effugere, & plagis etiam lethalibus admissis mortem impedire: mactatio autem hostiae debet subesse potestati sacerdotis. Deinde debet ipsa ex officio liberè assumi ad supremum Dei cultum & dominii protestationem: ceteri autem Martyres non sunt, uti Christus, a Deo constituti ad hoc per mortem suam protestandum, nec tali ratione mortem in se admiserunt, sed ut confiterentur fidem aut aliquam virtutem.

Nec obstat, quod Christus semetipsum physice non occiderit: non enim debet sacerdos physice per semetipsum hostiam immolare: quidni enim in lege naturae potuisset sacerdos sacrificare, etsi per ministrum v. g. bovem mactasset? Sic itaque Christus usus est ministerio impiorum, non quibus mandavit, sed quorum sacrilegas manus voluntarie in se admisit ex intentione se immolandi Deo pro peccatis nostris in recognitionem supremae Dei majestatis.

Dico II. Ratio Sacerdotii convenit Christo: quia homini, juxta certam Doctorum Sententiam contra Haereticos. Idque indicat Apostolus supra. Idem aperte docent Patres. Ambrosius l. 3. de fide c. 5. dicens: Idem ergo sacerdos, idem & hostia & sacerdotium: tamen & sacrificium humanae conditionis officium est. Augustinus l. 1. de consensu Evang. c. 3. Secundum hominem Christus & Rex & Sacerdos effectus est. Et alii. Ratio est: quia Christus quatenus Deus non habet superiorem: quod tamen ratio sacerdotii & sacrificii includit; cum sacrificium ipsum offeratur in signum submissionis & recognitionis, quae alterum tamquam supremum Dominum offerens veneratur. Deinde Christus quatenus Sacerdos interpellat pro nobis & nobis meruit; quod non potest ei convenire quatenus Deo.

Dices juxta Cyrillum Ierosol. Cath. 10. Christus est summus Sacerdos, immutabile habens sacerdotium, quod neque a tempore cepit, neque successorem alium habebit sacerdotii &c. Neque sacrificio oleo unctus, sed ante saecula a Patre. Resp. Sacerdotium Christi non cepisse tempore, quatenus Filius Dei ab aeterno est praedeterminatus, ut in natura assumenda sit Sacerdos, Patre Filio suo ab aeterno genito dicente: Tu es Sacerdos in aeternum. Alias manifestè falsum est, Filium Dei ante Incarnationem fuisse Sacerdotem potius quam Spiritus sanctus fuerit Sacerdos. Non habebit etiam successorem, quia Christus usque in finem mundi manet Sacerdos & principalis offerens per nos tamquam per vicarios, non tamquam per successores. Ne-

que

93. Cur similiter reliqui Martyres non sint sacerdotes.

Sacrificio cruento non obstat, quod Christus physice se non occiderit.

94. Sacerdotium convenit Christo quod homini.

Explicatur testimonium Cyrilli Ierosolymitani in speciem oppositum.

90. Christo assumptum corpus non est ubique, sed loco circumscriptum.

91. Christus secundum corpus non est ubique, sed loco circumscriptus.

92. Christus est sacerdos proprie dictus.

90. Possit esse officium quoque servum & palpabile corpus in aeternum.

que est factio oleo unctus; uti Aaron & alii Sacerdotes, sed ante secula à Patre ei per æternam generationem communicante suam divinitatem, quæ quidem in tempore humanitati communicata, fuit eidem loco olei factitii.

Dico III. Christus non fuit Rex temporalis Judæorum. Ita unanimiter Theologi contra *Armatanum*. Ratio est: quia ne verosimiliter quidem potest ostendi aliquis legitimus titulus, sive donationis, sive electionis, sive successionis, sive alius, quo regnum istud ad Christum fuerit devolutum. Si enim jure hereditario seu successionis (de quo solo posset esse quæstio) debuisset in primis mater Christi prius obisse, utpote legitima heres, ut supponitur. Deinde concessio (quod probabilius est, etsi id neget *Suarez* & alii) quod *Deipara* processerit ex David, non per Nathan, sed per Salomonem, deberet semper descendisse per primogenitos. Præterea etiam hoc supposito, linea Salomonis quoad jus regni dudum intercederat: adeo ut juxta Prophetiam *Jeremias* c. 22. post *Jechoniam* non fuerit vir de semine ejus, qui esset Rex seu federet super solum David: sed post captivitatem *Babylonicam* fuit populus gubernatus per *Duces*, qui ferè omnes fuerunt de genere sacerdotali. Scripturæ autem quæ regnum Christi deprædicant, de spirituali regno & regimine sunt intelligendæ. Quare de regno temporali, seu jure regnandi, quale ceteri reges habent, dixit *Joan.* 18. *Regnum meum non est de hoc mundo &c.*

Dico IV. Summo Christi sacerdotio annexa fuit potestas regni spiritualis, scilicet *Ecclesiæ*, quam Christus instituit & ordinavit, perpetuèque gubernat, vices suas in ordine ad regimen sensibile suis committendo vicariis. Placuit siquidem congruentissimè Deo Patri tantam homini Deo committere potestatem, juxta illud *Matth.* ult. *Datta est mihi omnis potestas in celo & in terra.* Et de hoc regno *Propheta* prædixerunt *Regnabit Rex. Exiet dux qui regat populum meum Israel &c.* Denique hæc est *Eccl.* *David*, de qua *Gabriel Angelus* *Luca* 1. dixit: *Dabit illi Dominus Deus sedem David Patris ejus, & regnabit in domo Jacob*, *Ecclesiâ* scilicet *in æternum.*

Sic autem quæ homo ordinavit *Ecclesiâ* per potestatem excellentiæ dando etiam leges tamquam legatus ad nos missus; ut in his condendis principaliter divina ejusdem voluntas, & legislativa potestas spectetur; ne si per potestatem legislativam humanitati propriam eis dumtaxat tulisset, & non per eam tamquam subordinatam divinæ leganti, *Lex Evangelica* solum fuisset divina per communicationem idiomatum.

Hinc sequitur Christum quæ hominem non fuisse subjectum humanis legibus; ut de lege tributaria ipse indicavit *Matth.* 17.

& generaliter contra *Matthæum Paduanum* docentem, quod fuerit subjectus potestati regum etiam coactivè, tum quoad personam, tum quoad temporalia; definiuit *Joannes XXI.* *Extravag. licet*; ut refert *Turrecremata* l. 1. *summa* p. 2. c. 37. Fundatur in dignitate & superioritate ipsius Christi tamquam supremi Pontificis & Filii Dei. Facto tamen seu voluntate fuit subditus leges servando: prout etiam propter nos fuit subditus *Joseph* & *Mariæ* *Luca* 2. *Naturali* etiam legi, quæ ipsam naturam rationalem creatam consequitur, fuit subjectus, v. g. *Legi* de non mentiendo, non blasphemando. Potuisset quoque subjectus esse legibus positivis divinis.

De facto tamen non fuit subjectus legibus à Deo communiter hominibus datis. Non enim *Evangelicæ*; utpote quam ipsemet tulit, de rebus ad se non spectantibus, scilicet de rebus fidei & Sacramentis; & pro hominibus alterius ordinis, ac status lapsi, restituendis in pristina per suum sanguinem. Non etiam *Mosaicæ*, ut habet recepta *Doctorum* sententia contra *Paucos*; hæc enim solis filii *Israël* & ab iis per seminalem generationem descendentibus (*junctis* *Profelytis*) data fuit. Unde *Judæis* ipsum calumniantibus, quod sabbatum non custodiret, respondit *Matth.* 12. *Dominus est filius hominis, etiam sabbati*, ostendens (ut ait *Aug.* q. 10. in *Matth.*) se non esse legi subiectum, quia erat *Filius Dei naturalis*, & *Dominus legis*. Adde, non positam fuisse femini, sed *sanctæ venires semen*, Christus, fuisse *pedagogum* *Judæorum* in Christo, sive ducentem ad Christum, non autem ipsius Christi, ad *Galat.* 3. Neque fuit ei subiectus per circumcisionem; hanc enim non suscepit, ut ad instar *Profelyti* advenæ se aggregaret *Judæis*, sed ob alios fines & causas, de quibus *disp. seq.* q. 2. s. 2. Dicitur autem factus sub lege, ad *Galat.* 4. non secundum debitum sed secundum externam apparentiam, & plenam observantiam; idque conducebat, ut ipse ejusque prædicatio facilius à *Judæis* reciperetur.

Itaque subjectus fuit solummodo quibusdam præceptis personalibus, specialiter erà Patri impoſitis v. g. de docendo & per mortem redimendo genere humano; juxta illud *Joan.* 10. *Hoc mandatum accepi à Patre meo.* Et c. 14. *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic impositum.* Et c. 15. suo nos exemplo hortatur ad obedientiam dicens: *Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut & ego Patris mei præcepta servavi &c.* Et ad *Philipp.* 2. dicitur: *Factus obediens usque ad mortem.* Quæ sine fundamento contra sensum *Patrum*, *Quædam* *Ambrosii* & aliorum, contra communem *Doctorum* sententiam, & contra ipsius litteræ proprietatem Nonnulli interpretantur de sola manifestatione paterni desiderii, & non de rigido præcepto. Congruè autem

95. Christus non fuit rex temporalis Judæorum.

96. Summo Christi sacerdotio annexa fuit potestas regni spiritualis, scilicet Ecclesiæ.

97. Christum quæ homo

autem huiusmodi præceptum fuit imposi- tum: tum ut magis eliceret amor Dei, dum Filio etiam mandaret nostram redemptionem; tum ut ipsa redemptio veluti opus obedientiæ esset perfectior, nobis exemplario- rum; & inobedienciæ Adæ, quæ nos capti- vaverat, directius opposita. Non fuit tamen præceptum impositum Christo, quatenus erat Verbum; ut contra *Arianos* manifestè tantum vult *Basiliius I. de Spiritu sancto* c. 8. Et intelligi potest *Chrysostomus* diversis in lo- cis. Neque etiam fuit ei quæ homini imposi- tum, quasi voluntas humana indignisset aliquâ coactione aut comminatione (quam vulgarem imperfectionem ex professo tantum removet *Chrysostomus* citatus, qui proinde dici potest de Christo locutus etiam secundum humanitatem) vel quasi sine præcepto non satis paratus fuisset exequi paternam voluntatem.

Petes an potestas regia five regni spiri- tualis in Christo sit distincta à potestate sacerdotali? Resp. Aff. nam prior potestas extendit se ad omne officium & iurisdic- tionem, adeoque etiam ad leges ferendas: posterior autem præcisè spectata solum respicit oblationem precum & sacrificii pro populo.

Petes II. Quando potestas regni spiri- tualis sit Christo collata? Resp. in instanti conceptionis, idque ratione Unionis hypo- staticæ, cui quodammodo debebatur. Quare etiam ante resurrectionem leges tulit. Et *Joan. 13.* de ipso dicitur: *Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus.* Quamvis in resurre- ctione perfectum statum & usum regni sui ac domini acceperit.

Solum restat dubitatio, an Christus titu- lo supereminenti Unionis hypostaticæ ha- buerit temporalem potestatem, quam vo- cant excellentiæ super universum mun- dum, adeo ut fuerit & rex temporalis quan- tum ad potestatem iurisdictionis in ordine ad regibus & principibus imperandum, leges etiam politicas ferendas &c. & domi- nus proprietatis, sic ut ad libitum potuerit directè disponere de omnibus rebus mun- di, veluti de suis, adeoque domus v. g. de- struere, aliis donare &c. Plurimi namque affirmant: inter quos referuntur *Alvarus Pe-*

lagius, Antoninus, Turcremata, Durandus, Ga- Plurimi
latus, Henriquez, Suarez &c. E contra non affirmant,
pauci negant: inter quos *Waldensis, Abulen-* non pauci
sis, Victoria, Toletus, Bellarminus &c. Ego au- negant.
tem censeo, rem esse utrimque incertam, Res utriusq;
nec satis ex auctoritate vel ratione proba- incerta.
tam. Cum tamen soleamus frequenter in dignitate Christo tribuendâ procedere ex congruentia, possumus & hic ex eadem pro- cedere, hunc honorem tribuendo homini Deo, ex quo nullum sequitur inconveni- ens; in quo honorando malum excede- re, quàm deficere. Nec malè in hanc regi- am potestatem refertur, quòd Christus non potuerit etiam quæ homo subijci ullis legibus humanis. Neque hoc dominium excellentiæ repugnat subordinatis sibi do- miniis aliorum regum aut privatorum: uti nec dominium supremum Dei præjudicat dominiis inferiorum. Hæc proinde Chri- stus intacta reliquit; quia (ut canit Ecclesia) *Non eripit mortalia, qui regna dat caelestia.* Dum autem *Joannes XXII. Extrav. Inter Nonnullos,* & *Extrav. Quia quorundam,* determinat Chri- stum habuisse interdum dominium aliqua- rum rerum, v. g. sibi donatarum; suppo- nens quòd non omnium: & è contra *Ni-* colaus III. cap. Exiit, de Verb. Signif. in 6. docet Christum aliquando caruisse proprietate omnis rei temporalis: tunc agunt de domi- nio humano & subordinato, quale compe- tit ceteris hominibus, quodque excludit dominium alterius in eandem rem.

An autem Christus interdum fuerit usus hæc potestate, non ita constat: nam siculneæ infirmitate affectio, dæmonum in por- cos immisso tribui posset divinitati, aut et- iam regie potestati spirituali, vi cuius juxta alios Auctores poterat disponere de rebus temporalibus totius mundi, in ordine ad finem spiritualem, nullâ etiam peculiari causâ necessitatis seu causâ per accidens in- terveniente. Quam potestatem Nonnulli ex ipsis appellant directam & per se: alii verò indirectam, veluti quæ circa tempo- ralia non erat propter se & sine ordine ad alium finem superiorem, nempe spiritua- lem, sed dependenter ab eodem; ut videre est apud *Tamerum disp. 1. q. 7. dub. 4. n. 79. & 80.*

DISPUTATIO TERTIA.

De Adoratione sive cultu Christi, Sanctorum, Reli- quiarum. Item imaginis Christi, & Sanctorum.

QUÆSTIO I.

De Adoratione Christi.

SUPPONO Adorationem esse quãdam speciem honorationis, quã quis se al-

teri tamquam superiori seu excellentiori submittit, ut Doctores communiter defi- niunt conformiter ad *Damascenum Orat. 1. & 3. de Imaginibus.* Unde (ut ait *Ang. 1. contra Sermones Arianorum* c. 23.) honorat omnis qui adorat, non autem adorat omnis qui honorat: nam

E 2 nam